


05

A

1101





J
L
Dr
C



JEHOVÆ PRÆPOTENTIS MONARCHÆ
auspiciis,

Discursus quintus

Ad Aureæ Bullæ CAROLI
QUARTI Rom. Imp.

LEGES IMPERII
FUNDAMENTALES

Authoritate Majorum

Publico disputantium examini, & omnium
publici juris Indagatorum censura

EXPOSITUS;

Quem

PRÆSIDENTE

Amplissimo & Consultissima Viri,

Dn. DOMINICO ARUMÆO, Jcto
Celeberrimo, in Inclyta Jenensium Acad. P. P. ibidemq;
curiæ Provincialis & Scabinatus Assessore digniss.
Antecessore suo multis nominibus æter-
nùm honorando.

In auditorio Jctorum propugnabit

JOHANNES DEIE OSNABR. WESTPH.

4 Octobr. 23. August. horis consuetis.

JENÆ

Excudebat Tobias Steinman, Anno 1617.





*Viro Magnifico, Nobilissimo ac Con-
sultissimo*

Dn. JOHANNI Steding
ILLUSTRIS AC GENEROSISSIMI
Cornitis Schauvenburgici &c. à consilij inti-
mo, archisatrapæ arcis Pinnebergicæ dignissimo,
hereditario in Holshausen.

NEC NON

*Viro antiqua generis prosapia nobilissimo, usu &
experientia spectatissimo,*

DN. BARTRAMO Kantzowen
hereditario in Kuhaupt.

Dominis Mæcenatibus, fautoribus ac promot-
oribus suis ævum honorandis, debita observantia
ergò hoc Academicum exercitium obser-
vanter inscribere voluit

Johannes Deie Osnabr. Westph.



Doctissimo Viro Dn. JOHANNI DEIENLL. Cand.

Commens. ac Amico suo.

Cecropia ut Divam commendat Pallada tellus,
Herculis & Gades ingerit ora polo:
Delia culta suum, Pelopeiadesq; Mycenam,
Minoiique colunt fidus in arte Patres:
Sic tua Doctorum genitrix Patria alma Virorum
Te quondam Themidos fulgidum Abanta colet,
Quando Pericleo reducem splendere Cothurno
Viderit & meriti cingere ferta caput,
Quæ tibi Apollineis dudum modò nexuit herbis
Atq; in Varnicolum Nympha reservat agris
Quà Lara cæruleas extendit Balthica lymfas
Castraq; Musæus quâ sua Phæbus habet.
Illic quo nemo major COTHMANNUS amicus
Et tibi LINDMANNUS ductor & author erat,
Mœcenas animi præstans virtute SIBRANDUS,
Quos Deus & virtus famæ in olympon agunt.
Illic Pirithoum vidi mihi Thesea fidum
Te Clario Musis corde favere meis.
Definis & minus hic ubi vergis ad æthera juris
Et præfers multis lampada in arte viris.
Atq; ita Magnanimùm spirantia pænè virorum
Ora verecundo flamine Lyta refers.
Quò ceu Pandarei Chloreis nova Filia Progne
Ingenuæ mollit mentis acumen eos.
In te qui currunt veluti cum dirus Eois
Imbricitor malum præterit Eurus equis;
Vel contra Idumari fluctus extollere robur
Æolijs Aquilo certat utrinq; labris.
Felix pugna tua est pro Astrææ sorte & honore
Cæsaris, hic tibi opes, sed dabit illa decus.

PERSEVS F.

IOANNES

Ioannes Deie

ἰοαννης δειου.

Jo anne Dei es?

HYblæas imitatus apes per acumen Hymetti
Pimpleidum splendor volitasti Jane Dicæi,
Cellæ distendis Clario saturata liquore
Hinc tabulata tuæ decorata Dicesq; lepore.
Est labor iste pius satagens superare cacumen
Nubiferi Atlantis cuius nec tædio amorem
Pegasidum extinguit sudor laudabilis iste,
Iste Medusæo recreans se culmina rore
Ardua Pieridum donec prensarit ovando.
Te pius iste labor Themidos flammatus amore
Auricommo invasit, nitido nec corde recedit
Ille tuo, fixumq; animi penetralibus imis
Nocte dieq; tenes. Tanto Trachinia nidos
Alcyone vernos, tanto circumvolat ales
Daulias hautq; lares, animamq; in pignora amore
Transfert; Delicias quanto fervore Dicæas
Tu rimaris ovans, animam in tua pectora fundens
Astrææ Cerebrum segete hinc Tritonia vestit
Virtutumque tuam linguam Cyllenius ornat,
Ornabit Pæon Daphnæa & tempora frunde
Frunde nitore decus spargente in sæcula, donec
Obliquo flectat plaustrum remone Boates
Et pereat tandem custos Erymanthidos ursæ.
Quare age Justitiæ ad Justum te duco tribunal,
Numine *Io anne Dei es* natus? dic, flumine Deie
O dum Aganippæo & Themideos circumfluis undis,
Unde tibi jam jam laus splendida surget abunde,
Dum te **A R U M Æ I** Charitum Astrææq; Dynastæ
Proteget Arctophylax, didens se lumine in oras
Quas Aquilo & Zephyrus quatit & quas Caurus & Eurus.
Maecte istis o fulge vive vigeq; labore!

*Albertus Kirchovius Osnabrugæ
VWestph.*

F I N I S.

DISCURSUUM ACADEMI-
CORUM

Ad Auream Bullam
CAROLI QUARTI
ROMAN. IMPERA-
TORIS

QUINTUS.

RESPONDENTE

JOHANNE DEIEN Osnabr. Westph.

AD CAPUT OCTAVUM

THESIS PRIMA.

*Quo tempore Dux Bohemiae in regem erectus sit,
non una omnium est opinio.*



Abbas enim Urspergensis ab Henrico V. Imperatore ex duce ad regnum assumptum fuisse autumat. Qui verò res gestas & Bohemorum historias consignarunt, tradunt dignitatem quidem regiam ab Ottone Wenceslao Sancto delatam, sed non receptam, postmodum ab Henrico I V. Imperatore Uratislao redditam esse. *Aeneas Sylv. c. 22. de Bohem. Dubrav. in lib. 9. pr. histor. Bohem.* Sed post Uratislaum plurib. annis interregnum fuit; nam Conradum fratrem ejus, ac deinde Uratislai filios non Regis nomine, sed Ducis tantum usos esse constat, tanquam Regni decus homini, non provincia datū esset, *Aeneas Sylv. c. 24. in Bohem.* donec Ulladislaus ex fratre

Dd

nepos

nepos à Friderico I. suo heredumq; suorum nomine iterum regiam dignitatem consecutus est. Quod præter Sylvium indicat quoque *Guntherus in Ligu. lib. 6.*

*Hoc quoq; conventu procerum Dux ille Bohemus
Fama Labeslaum, quam nominat ob sua gesta
Fortiter, & bello nuper spectata Polono,
Ex Duce Rex fieri meruit, gessitq; potenti
Sceptra manu, cinxitq; novo diademate crines.*

*An verò inter Electores referri debeat, hujus
loci questio est.*

Et in duas opiniones video homines doctos abire. Autores primæ id negant: Sic enim *Abbas Stadenfis ad annum Domini. 1240. scribit?* Bohemiam Regem pincernæ quidem munere fungi, verum non eligere, quia non sit Teutonicus. Et *speculum Saxonicum lib. 3. artic. 57.* Bohemiam Rex pincerna est, qui non eligit, quia nostræ non est nationis. Quâ de causa factum opinari licet, ut *Sigismundus Rex Poloniae Ludovici Ungariæ & Bohemiam Regis impuberis patruus, qui anno 1419. Legatos suos cum ingenti pompa Francofurtiam ad conventum Electoralem miserat ut administratorio nomine vicem suam in electione Regis Romanorum gererent, tanquam extraneus & inhabilis à jure & potestate sedendi, suffragandi & eligendi exclusus fuerit; sicuti ex actis electionis Caroli V. apparet.*

Autores verò secundæ opinionis largiuntur quidem Electoris eum partibus fungi, sed tunc demum cum paria sunt Electorum vota, sicut videre est apud Canonistas *in c. venerabilem. extr. de elect. Petr. de Andlo. lib. 2. cap. 2. de Rom. imperio. Pacianum lib. cap. 35. num. 26. de probat.* Quorum sententiam *Ioann. Dubrav.* alioquin diligens regiam Bohemicam dignitatis adsertor sequitur. Additus tamen sex illis Principibus, ait *lib. 6. historiar. Bohem.* postea

postea Rex Bohemus fuit Elector septimus ad tollendam discordiam, quæ inter pares numero pari suffragio concurrente nonnunquam intercedebat. Verum uti prior, ita & posterior opinio ex Bulla nostrâ satis superque refelli potest. Si enim Rex Bohemiæ votum tertium, & inter Electores seculares primum habet, Elector sit necessum est. Nec id dici potest, quod paribus existentibus suffragiis saltem interveniat. Atqui in tit. 4. §. 3. hic dicitur, quod Rex Bohemiæ ex regiæ dignitatis fastigio inter Electores seculares primatum obtinet, relinquatur itaque eum, quia primus est, & Electorem esse, & non, ubi dissentunt, sed antequam reliqui seculares suas sententias dixerint, votum suum proferre. Quod insuper confirmatur tit. 7. §. 1. hic. Sanè generaliter longè lateque publicum & quasi per totum orbem notoriè manifestum habet textus: Illustres Regem Bohemiæ &c. cum cæteris Principibus suis Ecclesiasticis Coelectoribus jus, vocem & locum habere, & unâ cum ipsis censi & esse veros & legitimos S. imperij Principes, Electores &c. Cujus loci inductione refutatur *Cranzij* opinantis sententia, Carolum nostrum reliquis Electoribus Regem Bohemiæ adjecisse lib. 4. cap. 25. in *Saxoniâ*: Si enim, ut textus ait, longè lateque tempore Caroli publicum & quasi per totum orbem manifestum notoriè fuerit, Regem Bohemiæ cum cæteris Electoribus verum & legitimum Electorem fuisse, non utique Carolus eum de novo reliquis adjecit, quod enim notorium & manifestum, per totum orbem fuit, non recens, sed ab antiquo constitutum fuerit necesse est, quod & verè de Rege Bohemiæ Carolus adseruit. Nam ut *Dubravium* prætereamus, qui eum cæteris additum fuisse ait d. lib. 6. hist. Bohem. Certior ejus rei probatio ex constitutione *Rudolphi I. Imperatoris* desumi potest. quæ extat apud *Goldast. constit. imperial. tom. 2. Anno 1290.* Hæc verò jura, pincernatus & Electoratus, ait, nedum dicto Regi & suis hæredibus didicimus competere, sed & suis progenitoribus, abavis, atavis & avis plenissimè, purè competebant. Meminit & *Dubrav. lib. 18. histor. Boh. Rudolphus Cæsar* in acta publica referri jussit, ait, quod Rex Bohemiæ Electoribus imperij sine ullâ ambiguitate perpetuò annumerari debeat.

270 DISCURSUS QUINTUS AD AUREAM

Extat quoque apud *Baron. annal. Eccles. tom. 10. An. 996.* diploma Electorale, quo Germaniæ Principes electionem Philippi Imperatoris Erfordiæ peractam Pontifici Romano insinuant, in cuius subscriptione inter seculares Principes primo loco legitur Rex Bohemiæ. Et in Electione Friderici II. Imperatoris primas partes tenuisse Regem Bohemiæ ex constitutione de privilegijs Regis Bohemiæ ab ipso promulgata videre est apud *Goldast. in Reichshandlung de Anno 1212.* in electione itidem Wilhelmi Comitis Hollandiæ non solum Rex Bohemiæ, ut Elector adfuit, sed & ipsum Comitem in ordinem equestrem ictu gladij more recepto adscivit. In electione quoque Ludovici Bavari tertio loco enumeratur Joannes Rex Bohemiæ, *Henricus Rebdorsius Anno 1314.* Et ideò cum tempore electionis Maximiliani I. quod forte non satis conveniebat inter Fridericum Cæsarem & Regem, præteritus fuisset Bohemus, adeò non dissimulanter tulit, ut pœnam aureæ Bullæ, inquam incidèrunt Principes, acerrimè interpellando postulare non cessaret, armaque præter hoc se illaturum minaretur, ut refert *Hartman. Maur. in coronat. Caroli V. Imper.* Nec hanc sententiam ratio Abbatis Stadenfis quicquam afficit: si enim ideò, quia Bohemus Teutonicus non est, non eligit, utique à contrario si probetur, quod Teutonicus sit vel consentiente Stadenfi eligere poterit. Atqui Bohemos Germanis permixtos ipsam Germaniam inhabitare *Dubrav. lib. 9. histor. Bohem.* fatetur. Et *Aeneas Sylvius c. 1. histor. Bohem.* Bohemiam Germaniæ portionem facit, adeò ut in templis sermone Teutonico plebs doceatur, *Münster. lib. 3. in descript. regni Bohemici* ut rectè *Freher. in notis ad Petr. de Andlo. c. 2. lib. 2.* dixerit, quod Stadenfis, sicuti & Speculi Saxonici ratio non usque adeò liquida sit, cum sub Germaniâ magnâ, qualem quidem Geographi describunt, Bohemiam Germanis populis undique circumdatam & incinctam dubium esse non possit, &c. Quod secundæ sententiæ autores attinet, cum illi nullius constitutionis aut etiam idonei autoris testimonio fulciantur, eadem confidentiâ, quâ illi eam adstruunt, nos destruere possumus eam. Præsertim cum à nobis tot constitutionum unanimis consensus, & acta fidei indubitata militent, quare & Rupertus Comes Palatinus Elector in diploma suo, quo jura Electoris Bohemiæ in Comitibus Metensibus confirmavit,

SEIKI

R. B. G.

firmavit,

firmavit, non obscure tam primæ quàm secundæ sententiæ auctores perstringit; non nulli filij tenebrarum, ait, oculis cæcutientibus à divina luce remoti in meridianâ palpitant claritate, sicut in noctibus, & offendicula laqueosque præparant iniquitatis & sceleris; diabolicâ invidiâ suggerente jugum veritatis deferre præ mole gravissimi ponderis coagulati mendacij nequentes super ipsis offendiculis corruunt, & suorum laqueis iniquorum conceptum se involvunt, ut lucem tenebras judicent, & tenebras ipsam lucem. Igitur ad abundantioris cautelæ præsidium, ut præfato Serenissimo Principi Domino Regi Bohemiæ & successoribus & heredibus suis Regib. Bohemiæ in perpetuum securius caveatur &c. apud Goldast. tom. 2. constit. imperialium fol. 97. Gravissimè ergo cum Ruperti Imperatoris constitutione Canonistarum & Speculi Sax. commentum auctoris redarguatur, nemo, opinor, in tantum pertinax erit, qui non omisâ eorum sententiâ ad eam, quam firmavimus, accessum facere velit.

III.

Quando verò cæteris Electoribus additus sit, Inter scriptores itidem non constat.

De Bohemiæ Rege seu Duce primorum temporum gesta non ferunt; ait Heig. q. 3. n. 47. lib. 1. quest. illum statim alijs applicari, bella enim inter Imperatores Romanos & Bohemiæ Duces toties renovata ostendunt, non adeò firmiter Bohemiam cum imperio superioribus seculis coaluisse, tantum abest, ait Cisnerus in oratione de Ottone III. ut Bohemiæ Duces ijs comitijs quib. Henricus Claudus, Conradus Salicus, Henricus Niger Imp. renunciati sunt, interfuerint, ut etiam imperio Germanorum, cui tributum pendebant, infestissimi essent, etenim ex ijs Spitigneus tãto odio in Germanos exarsit, ut non modò omnes alios Bohemiâ excedere jussit, sed nec matri quidem suæ in eadem commorandi potestatem fecerit, Aneas Sylv. c. 20. in Bohemiâ. Et cum casu Ottocaro Marchio Brandenburgensis tutelam Wenceslai ejus filij suscepisset, & Bohemos, utrum putarent utilius suis legib. & moribus vivere,

212 DISCURSUS QUINTUS AD AUREAM

an imperio Germanico obtemperare rogaret, illi perire se malle, quàm Germanis subjici, exclamarunt, *Dubrav. lib. 18. histor. Bohem.* Verùm horum ratiocinatio non efficit, quò minus statuamus etiam protinus alijs sex Bohemum additum fuisse. Nam & bellum inter conjunctissimos non rarò oritur, & odium gentis Bohemicæ in Germanos etiamnum viget, fuitque tempore Rudolphi I. Imper. efficacissimum, quod mortem Otocaro Regi acceleravit, *Aneas Sylv. c. 27. in Bohem.* Et bellum inter Albertum I. Imper. & Wenceslaum regem redintegratum non efficit, quò minus Wenceslaus Elector permanferit, cum ut *Dubrav. d. l. 18.* autumat, huic à Rudolpho Alberti parente primitus dignitas Electoralis collata fuit, qui tamen in hoc apud me vix fidem inveniet, qui sciam, quod tunc temporis, cum Bohemus Elector factus, Dux non Rex fuerit, *Schard. c. 8. de orig. Elect.* ac meo iudicio, ait, si qui sunt auctores, qui institutionis Electorum mentionem facientes Bohemum Regem appellant, ut *Naucner. gener. 34. Cuspin. in vitâ Ottonis III.* alijq; nonnulli, hi non id sentiunt, quod Ottonis tēpore Rex fuerit, sed quod tunc cum illi scripserint, Rex esset, utpotè, qui ipsi tradiderint, Ducem Bohemiæ Uladislauum à Friderico I. regio diademate insignitum &c. Et si Wenceslao Otocari filio primitus dignitùs Electoralis collata foret, falsus esset Rudolphus I. qui Abavis, & aravis Bohemiæ Regis jura Pincernatus & Electoratus competijsse adserit *apud Goldast. d. constit. tom. 2.* Nec primas in electione Friderici II. non itidem Guilhelmi Comitis Hollandiæ obtinuisse.

IV.

Bohemo verò ut Electori ejusque subditis duplex privilegium à Carolo nostro hic confirmatur. Primum est, nè quis ex ijs, ad cujuscunque judicis tribunal extra regnum Bohemiæ vocetur. Alterum est, nè appellationes à sententijs instituantur, aut etiam à quoquam recipiantur, quod & cæteris Electorib. indultum *c. 11.* legitur.

CAPUT

AD CAPUT IX.

V.

Cum pecunia imperij & rerum gerendarum nervus sit; ea autem ex oppressione & subditorum lachrymis corradi non debeat; Aurum enim adulterinum existimari debet, inquit ille, quod cum subditorum lachrymis collectum est, ideò ejus conficiendæ inter cætera honestissimum putatur genus, quod fodinarum proventu constat, qui revera Principum mercatura quædam, juxta *Scipionem Ammiratum lib. 3. discurs. 8.* vocari potest, & ideò ut aliarum rerum negociatione Princeps abstinere, ita & à subditis ei ad dignitatem suam tuendam proventum eum, qui ex ijs haberi solet, quasi negociationis quandam speciem, concedi æquum fuerit. Quibus hoc, si sumtus, qui ad metallorum productionem immensi requiruntur, perpendantur, nocivum adeò videri non potest. Unde cum Friderici I. Imperatoris tempore

— — — *regni de jure vetusto*

Questio mota fuit, quod desuetudine longa

Priscus inumbravit neglecti temporis errat.

ut *Guntb. ait in Ligurino lib. 8.* ab ipso jus aurum, argentum aliudvè metallum fodiendi iterum ad regalia, hoc est, ea, quæ soli Regi cõpetunt, relatum fuit *l. un. quæ sunt reg. in us. feudor.* Quod equidem non solum intelligo cum fodina metallica in loco publico, hæc n. Imperatoris jure proprietatis, non ullius præminentia intuitu est, verum etiam cum in privato reperta est, oblitterato hac in re jure antiquo, quo fodinas in privatorum usu fuisse ostenditur *l. 3. §. ult. l. seq. ff. de reb. eor. quæ sunt sub. tut. l. item si fundi §. sed si lapidicinas. l. si cuius §. inde questum ff. de usufr. certâ portione fisco ex earum proventu attributâ l. 1. & 2. C. de metall. quod præter d. c. un. quæ sunt regal. Et Guntber. d. lib. 8. confirmat:*

Hæc & si qua pari fuerant obnoxia juri,

Prælati, Procures, missisq; potentibus urbes,

Libera Romano liquerunt omnia regno.

Proba

Probatur quoque ex eo, quod Carolus Magnus Ludovico Comiti Glichenfi facultatē aurum, argentum fodiendi aliaq; metalla peculiariter in suo districtu concesserit, *Gold. tom. 1. constit. imper. p. 17.* Et Fridericus I. Ludovico Bavariæ Duci & Palatino Rheni omne genus metalli in terris patrimonij & feudi fodere specialiter indulserit, *Gold. d. tom. 1. p. 298.* Clarescit, insuper ex constitutione Henrici VI. Imperatoris, cum omnis argenti fodina, ait, ad jura pertineat imperij & inter regalia nostra sit computata, nulli venit in dubium, quin ea quæ nuper in Episcopatu Mindensi dicitur inventa ad nostram totaliter spectet distributionem, *Gold. in tom. 3. constit. imper. fol. 362.* Si totaliter distributio spectet, non certa portio saltem debita fuit. Quare & Henricus *in d. constit.* duas saltem tertias Episcopo, retento sibi reliquo libera voluntate, adsignat, quod & Carolus IV. in textu hoc nostro statuit, dum enim universis & singulis Electorib. tam Ecclesiasticis, quam secularibus omnes auri & argenti fodinas, cupri, item ferri, plumbi & alterius cujuscunque generis metalli ac etiam salis tam inventas, quam etiam inveniendas in suis ditionibus justè tenere & possidere concedit, utique aperte demonstrat, hoc alijs Principib. & Statib. citra specialem Principis concessionem permissum non esse. Quibus omnibus denique consuetudo omnium rerum domina, ut à Gellio 12. noct. Att. c. 13 appellatur, adsistit. Nam attestantib. Reinhardo diff. Sax. 8. p. 6 Colero decis. 98. n. 3 lib. 1. qui in Germania fodinas metallicas habere vult, eum oportet à Cæsareâ Majestate de ijs investitum esse, ut videre licet inquit Reinhardus *in der Chur vñnd Fürsten zu Sachsen / Mansfeldischen / Hohnsteinischen / Stollbergischen / Goslarischen vñnd andern Bergwerken.* Et haud dubie his & alijs fundamentis motus Potentissimus quidam Elector fodinam salis nuper in privati agro in suis ditionibus inventam sibi adseruit jure, ut merito ab illorum sententia cavendum sit, qui volunt fodinas in agris privatorum inventas ad dominos agrorum pertinere, dummodo decimam metallorum partem Electorib. solvant, *Andr. de Isern & cōmuniter Feudista d. c. un. quæ sunt regal. Quetta. conf. 5. n. 13. VVes. conf. 60. nu. 7. Rosentb. c. 5. concl. 88. n. 7. de feudis.* Nam concessio facta est ab Imperato-

peratore Electoribus eo modo, quo ipse proventus fodinarum habuit, ut ex textu nostro patet. Et alias ea cum omnibus suis qualitatibus facta censetur. *l. sed et si manente ff. de precar. ejusdemque naturæ & formæ intelligitur c. ibi qui de præbendis in 6.*

In territorijs tamen Electoris & Ducum Sax: inveteratâ consuetudine aliquantulum nostra opinio limitata reperitur. Si quis n. ab ijs de feudo aliquo cum mero mixtoque imperio investitus sit, inque eo fodinæ metallicæ reperiantur, atque ex ipso metallo æ, stannum aut plumbum vincat aurum argentumve, quod æri, stanno, plumbove admixtum est, cedit lucrum totale vasallo. Quod si verò aurum argentumve seu copiâ seu valore superet jam tacta viliora metalla, omnis utilitas Principibus cedit, *Reinhard. d. l. Heig. quæst. 13. n. 42. lib. 1. quæst.*

VI.

Conceditur insuper in textu nostro Electoribus Judæos habere. Hi enim veteri instituto Camerae Imperialis servi habentur, uti constat ex Ruperti Imper. Constit. quæ extat apud *Freher. in not. ad Petr. de Andlo c. 10. lib. 2.* Et ideò juxta Mancipiorum conditionem Imperator eos in Electores alienare potuit, eorundemque recipiendorum jus postmodum ad omnes illos, qui regalia ab Imperio, aut privilegium ejus nacti sunt, porrectum est, *Recess. imperij 1548. §. von Jüden & Anni 1577. tit. 20.* Quod tamen non eorumque extendendum est, quasi illi cum omnibus suis fortunis more servorum in ejus potestatem, cujus in territorium migrât, transeant, uti malè *Ioannes de Ananias & Corcetus relati à Marquardo, de Susannis part. 1. c. 7. n. 1. de Judæis*, volunt. Quia præter solitam contributionem, quæ qualis in imperio Anno 1495. fuerit, videre in ejus Recessu est, ab ijs exigere non licet, adeò ut ad rerum suarum venditionem etiã pretio constituto compelli nequeant. Justum enim est ajunt Imp. sua cuique committere *in l. nemo C. de injuriis.* Et non secus ac liberi & Christiani jure communi & Romano in his causis, quæ tam ad superstitionem eorum, quàm ad forum & ll. & jura pertinent, utuntur *l. 8. C. eod.* Hinc contrahere, mutuum dare ac recipere, emere & vendere, dummodò id bonâ fide faciant, possunt, *Recessu imperij 1577. tit. 20.* Quâ in re jure Saxonico melior est eorum quàm Christianorum conditio. Nam rem furtivam

E e igno-

ignoranter ementes pretium à domino eam repetente recipiant; *Sandrecht lib. 3. art. 7.* Verùm hoc ut & alia plurima ejus juris tanquam saxum & durum reprobatum est, juxta *gl. ad d. art. 7. lit. d.* Et rectè; nam Christianus non recepto pretio restituit eam *l. incivilem. c. de furt.* Multò magis ergò judæis id imponendum erit, qui cautius negociari curabunt, ne tantùm in damna ejusmodi, sed etiam in criminis suspicionem, quâ vel maximè laborant, incidant, ut ait *d. l. incivilem.* Et ideò in *d. Recessu imperij Anni 1577. 120.* dominis citra dispendium res ejusmodi restituendas esse constituitur. Ubi etsi plurima alia ad fraudes Judæorum, quas in mutuo alijsque contractibus committunt, avertendas salubriter statuta reperiantur. Attamen gens invisa Deo & in Christianorum conspirans interitum nihil aliud, quàm refractis legum repagulis sanguinem & nummos eorum sicit, & modis etiam quibus potest nefarijs acquirat. Hoc vel maximè nomine sibi blandiens, quod etsi nec agros nec vineas possideat, frumenti, vini & nummorum tamen copiâ mirificè abundat, sudoribusque nostris fruitur. Felices profectò urbes & ditiones quæ hac hominum labe carent, nè multis furti occasionem & bonorum suorum distractionem præbeat, ait *Conradus Celt. in descr. urbis Norinbergæ c. 15.* Nobis quippe illam retributionem impendit, quam juxta proverbium: mus in perâ, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis exhibere consueverunt hospitijs, ut ait *Pontifex in c. etsi Judæos. extr. de Judæis. Jacob. Cujac. 7. obs. 29.* tamen in contrariam sententiam perpendet, motus eâ ratione, quam Augustus apud Philonem in suis exprimit edictis, collegia & coitiones Judæorum ideò se promittere, quod non sint crapulæ primò & vinolentiæ secundò quod non seditio- num nutricula, sed scholæ temperantiæ, & justiciæ, summo ardore animi hominum omne genus virtutis amplectentium. Et quidem rationes hæc Augustum Deorum gentilium religione detentum, moverunt. At nos qui Christo nomen dedimus, si blasphemias & execrationes, quas in Salvatore nostrum ejusque matrem virginem, omnes denique sanctos & sanctissimo suo palato corruerunt, ut loquitur Lutherus in eo, quem contra Thalmutistas edidit libro, consideraverimus, virtutis umbrâ exteriore illâ nec quicquam nos ut feramus impia hæc, movere deest. *Addit, Cujac.* quod vetus Christianorū Ecclesia eos non rejecerit quodque Deus Opt. Max. præ cæ-
teris

teris dieb. extremis ad gloriam eis elaturus est, nec n. donationes suas revocat, quo quidem illud obtineretur inter Christianos eos tollerari posse, quod nec nos impugnat, qui quaestionem eam an recipi debeant ab illa, an possint, se jungimus. Nec n. facile eos debere recipi, at ex jure posse credimus; Et si recepti fuerint, ejici non poterint. Recipere enim ut voluntatis liberae esse volumus, ita ejicere non itidem. Par enim utrobiq; est vinculi obligatorij, quod exreptione oritur ratio, *l. sicut. C. de O. & A.* Quare cum Judæos in Imperio illis, qui regalia habent, recipere permittitur, non utiq; si receperint, quod tamen rationibus supra dictis non suaferim, eos pro arbitrio ejicere denuò poterint, quia exorbitantes aliâ quàm ejectionis pœnâ constringi possunt. Insecus facientes eosque ejicientes in Camerâ Imperiali cum clausulâ decerni solent mandata, *Rutg. Rub. lib. 7. c. 3. p. 3. de commissar.* Quod si verò recepti fuerint, studeat magistratus: Primò, ut juxta constitutiones imperij habitu à Christianis distinguantur, qui juxta Recess. imperij Anni 1530. *sol sein ein gälber Ring an dem Nock oder Rappen allenthalben unverborgen.* Secundò nè immobilia quocunq; titulo acquirant. Tertiò ultra quincunces usuras exigant. *Recess. imperij Anni 1577. tit. 20.* Quartò obligationes omnes coram magistratu loci aliâ quàm linguâ germanicâ conscribantur *Recess. imperij Anni 1551.* Quintò; blasphemias execrationesq; contra Salvatorem nostrum religionemq; nostram eruētēt; & hæc omnia juramento ipsis præscripto. *Recess. imperij Anni 1538. Rubr. Form des Jüden Eyds. Ordinac. Camerae p. 1. tit. 86.* se sanctè inviolabiliterq; observaturos magistratui promittere debent.

VII.

Tribuitur quoq; in textu nostro Electoribus telonia seu vectigalia de præterito statuta & indicta percipere, quæ antea soli Imperatori competebant, *l. 10. ff. de vectigal. c. un. quæ sunt regalia, & Gunther. lib. 4. in Ligurino.*

Improba Romano poscunt à se Rege tributa

Hujus ad arbitrium disponitur omne tributum.

Si n. ut Cyrus apud Xenophon. dicebat: officium Regis & Pastoris maximâ habeat cognationē, utiq; non iniquum fuerit illum ad instar hujus ex lanâ ac lacte vivere suarum ovium; nec aliter inquit,

Ecce

Justin.



Iustin. in Nov. 161. c. 2. conservare licet Rempubl. nisi pientissimæ præstationes importentur in publicum, ex quibus & militares nutriuntur copiæ, ut hostibus resistatur, ac per urbes & agros agantur excubiæ, perfruuntur reliqui ordines attributis sibi salarijs, reparantur muri & urbes, denique omnia alia inde proveniunt, quæ communem subditorum utilitatem concernunt, neq; quies gentium, ait *Tacitus lib. 4. histor.* sine armis, nec arma sine stipendijs, nec stipendia sine tributis haberi queunt, ut non injuriâ Neronem initiô sui Principatus Senatores reprehenderent, quod ille cuncta omitti vectigalium juberet, dissolutionem imperij docendo, ait. *Tacitus lib. 13. annal.* Si fructus, quibus Respubl. sustinetur, diminuerentur. Quibus de causis hæc Caroli Constitutio, quâ vectigalium jus Electorib. communicatur, multis improbari solet, quibus flagitium dominationis videtur, ubi res imperij alienantur. *Clapm. lib. 5. c. 12. de arcan. Rerumpubl.* Et trita est nostrorum conclusio, ea, quæ supremæ dominationis vel subjectionis notam habent, neque alienari à Principe, neque contra illum præscribi posse *c. cum non liceat extr. de præscript. P. Gregor. Tholos lib. 3. c. 8. de Republ. Balth. Aiala lib. 1. c. 6. n. 9. de jure & officiis bellicis.* nulli Impp. inquit. *Theodorus à Nyem. in nemore unionis labyrintho tr. 6. data est potestas à jure vel ab homine dissipandi vel alienandi jura ipsius imperij, quæ sunt juris publici, sed si ea neque adaugere tenetur, tamen ea diligentissimè conservare, & propterea se Augustum appellat &c.* Ita ut de factò alienata ad jus pristinum revocari debeant, *Aiala d. n. 9. lib. 1.* Quod plurib. adstruit *P. Gregor. d. c. 8.* Et sanè quâvis diffitendum non sit, quod immodicâ hac Caroli liberalitate evisceratum sit imperium, & ut loquitur *Cranz. lib. 10. c. 3. in Saxon.* deplumata aquila, ut in reliquum cœteris animantibus sit contemptui; nam ab eo tempore magis ac magis indices extenuata fuerunt jura atque vectigalia nostrorum Impp. ait *Jul. Pflug. de Republ. German.* ut post Carolum IV. è publico nostro & vectigalib. Imperij non modò non nervos bellorum sed nec pacis quidem subsidia amplius Impp. nostri habuerint. Attamen cum non solius Caroli, verum omnium subsequ. Impp. repetitis & juratis promissionib. Electorum jura confirmata fuerint, utique iniquum foret, eos tot Principum clementi favori & beneficio decipi, quare & Ty-

& Tyberius constituit, ut beneficia à superioribus concessa Principibus successores rata haberent, si eadem iisdem ipsi dedissent *Clapm. lib. 5. c. 13. de arcan. rerumpubl.* Nec enim per illum eundem jus, quod factò ipsius quæsitum nobis est, auferri debet, *Thoming. cons. 9. n. 41. l. 1.* Ut taceam sine turbis maximis & summâ indignatione eos tam inveteratâ juriû regaliû possessione dejici non posse; præsertim cum & assidui & multiplices labores, queis illi pro quiete imperij funguntur, recompensationem non vulgarem exposcant *6. Ecclesiasticis 12. q. 2.* Quæ si inter dantem & accipientes instituantur, immodica non usque adeò censeri debet. Immò bene merita pars contractus censentur, ita ut quæ eorum intuitu dantur, protinus in cōtractum transeant *l. quod semel. ff. de decret. ab ord. fac. Capit. decis. 166. nu. 2.* Ab illo igitur parte alterâ invitâ recedere non licet *l. sicut. C. de O. & A.* Et concessio ab Imperatore facta licet ei non respondeant merita, dummodo respondeat liberalitati Principis, valida est, *Tiraquell. in l. si unquam. verb. donationem largitus. n. 84. C. de revoc. donat.* Cumque agitur de remuneratione, Principis latè facienda est interpretatio *l. 3. ff. de constit. Princip. Schrad. cons. 39. n. 129. vol. 2.* tùm etiam quod Princeps magna multaue largiens putat se parva & modica concedere, juxta *gl. in l. sed & si suscepit. §. 2. ff. de judic.* Unde Innocentium IV. Pontificem, qui cum post obitum Friderici Imperatoris multis multa concesserat, postea ejusmodi concessiones revocavit, *Andr. de Isern. in c. 1. n. 13.* qui successores teneantur, damnat, subjiciens: multum mali esse in exemplo, cum non sit proprium Imperialis vel Pontificalis majestatis semel concessa rursus auferre, *in pr. Nov. de referend. palatij.* Valet deniq; alienatio jurium regalium, si statuum consensu accedente ea fiat. *l. f. C. de vedend. reb. civit. l. 2. C. de prædiis Decur. P. Greg. Tholos. d. c. 8. lib. 3. de Rep.* In jurium autem vectigalium imperialium concessionem consensum statuum accessisse indicio est initium Bullæ nostræ, ubi adfidentibus multis Principib. Comitib. & civitarum Legatis maturâ deliberatione præviâ, ea quæ subsequuntur constituta esse dicuntur, & aliàs ex lapsu ejus temporis, cujus initium non recolimus, omnia solenniter acta fuisse præsumtio est, *Cravetta. consil. 258. n. 13. Menoch. cons. 90. n. 30. & seq.* Poster tamen ait *Nicol. Cusan. lib. 3. c. 39. de concordantia Cathol. de imperialib. telonijs & gabellis*

gabellis Principibus pro Republ. concessis competens portio pro statu imperij annuè reservari, & ab omnibus telonijs in portione moderata abstrahi, & sic ea vectigalia & tributa ad publicum ærarium imperiale pro exercitu & statu imperiali Francofordiæ reponerentur, de quibus ita recollectis in annuo concilio & ratio & ordinatio fieret in Electorum ac aliorum præsentia, ut omnia justè ac prudenter disponderentur, & tunc cessarent magnæ expensæ, quas hodiè Principes coactè & inutiliter faciunt. Et provinciæ ditarentur & Respublica & imperium exaltaretur denuò,

VIII.

Cum verò in textu nostro telonia in præterito statuta & indicta percipere Electorib. conceditur utiq; per intellectum à contrario monemur de futuro statuere alia ijs non permitti; & rectè.

Si enim ut modò diximus, officij Principum & pastorum cognatio quædam sit, ideo ut ad pastorem pertinet, curare, ut pecora habeat læta & succulenta, ita æquum est Principes subditos facere opulentos, & non novis exactionib. ad inopiam redigere. Romani triplici ex rerū genere vectigalia percipere soliti erant, ex agriculturâ, mercimonijs & privatorū opibus; at nunc ne victus quidem tributo vacat, ut *Sebastian. Foxius de regni Regisq; institutione lib. 2. n. 71.* Excitati sunt graves Roma tumultus, novum aliquod Octavio Augusto exiguum tamen vectigalis genus imponente, qui tamen eâ in re omnium continentissimus visus est. Permultæ item seditiones & priscis temporib. & patrum memoriâ in Gallijs, Hispaniâ, Belgio & alijs provincijs exortæ sunt eam ob causam; Cum Ludovicus Sfortia, teste Guicciardino, misso ad Genuenses legato, qui magnam pecuniæ vim ab eis exigeret, eoq; prandio ab aliquo urbis optimare excepto, fors tulit, ut ab accubatione epulari in hortis ambularet, & animadversa herbâ illâ, quæ Basilicus dicitur: ad Legatum, inquit, domine, herbam hanc leviter tracta & olfac; cui morem gerens, suavè olentem herbam deprehendit, cui rursus convivator: herbam manu jam preme & odorare, cui etiam tunc adquiescens, odorem admodum injucundum & in-

insuavem eò adflari professus est. Hic rursus nobilis Legato, domine, inquit, si Dux Ludovicus molli suæ potentia manu urbem hanc tractet, lætam & obsequentem inveniet; sin illam fortiter premat, ingratum, rebellionis & impatientia odorem non dubie percipiet. Prudenter *Comin.* nemo est omnium Principum, ait, qui jus habet vel teruncium unum exigendi à suis præter constitutum annum censum, nisi populus adsentiat; Dicat aliquis fortasse, nonnunquam incidere potest tempus aliquod, ut non sit integrum agere conventus aut conscribere populum, eò, quod hujusmodi mora & conjuncta sit cum periculo, & belli rationes impediatur: Nihil hoc certè ad rem facit, dicit & pluribus ostendit *Cominæus lib. 10. de reb. gest. Ludov. XI.* Sed regerunt, Principes vix dignitatem suam tueri, nisi utantur ejusmodi novis exactiõibus: ita certè, inquit *Clapmar, lib. 5. c. 14 de arcan. Rerum. publ.* sed de re licita, sed modicè, sed cū fruendi parcimoniã. Meminerint Principes vocis illius Augusti Imperatoris: Magnas opes nõ tam quæri multa capiendo, quàm multa non perdendo. Quare apud plerosq; populos, qui mediocri potentia valent, id capitulationibus regibus suis præscriptum videmus, nè ultra constitutũ quicquam nisi eorum consensu exigant. Sunt quidam Principes, verbis loquor *Cominæi d. l. 10.* quib. hoc frequens in sermone est, ut dicat, se habere privilegia, ut quantũ velint, exigant à populo. Certè Galliarũ Rex minimè omniũ causam habet, ut istud de se jactet: Nec n. vel ipsi vel cuivis alij licet. Angliæ consuetudo fert, ait idẽ *Cominæ. lib. 5. de reb. gest. Ludov. XI.* ut extra ordinem subsidium nullũ dent regibus, nisi belli gerendi causa vel in Galliam trajiciũt, vel in Scotiam proficiscuntur. Hispaniarum Rex, etsi potentissimus sit, & maximæ apud suos autoritatis, tributũ tamen nõ nisi ordinum consensu imper. *Bodin. lib. 6. de Rep. c. 2.* Imperatori nostro absq; consensu Electorum vectigalia nova constituere non permittitur. *Steid. lib. 1 de stat. relig.* Multò minus ergò id Electorib. aut etiã alijs statibus, qui ex summi Principis liberalitate vectigalia habent, indulgendũ erit. Hinc in *Recessu imperij Anno 1576. S. Weiter sind wir & seqq.* constitutũ, quod cū novorũ vectigaliũ exactio, veterũve auctio sine Casaris & Electorũ consensu flagellandæ annonæ, perturbandæq; quieti publicè passim instituta, pertineat ad Casareæ eminentiæ dignitatisq; Electoriæ injuriam, Circuli in eam rem inquirere,

&

& comperta ad Moguntinum deferre debent: Et quia res odiosa est, mandata etiam sine clausulâ adversus eos, qui talia moliuntur, obtineri possunt, & sic quasi ab executione initium fieri, & ipse ait *Sixtinus c. 8. n. 16. de Regal. in Cam.* Vidi hujusmodi mandata clausulam justificatoriam non habentia annexam decerni: Et quidem contra eos, qui nova vectigalia non instituere, sed vetera augere conati sunt.

AD CAPUT X.

IX.

Quod medium ipsum in Syllogismo, sine quo ipse mancus & inutilis est, operatur: Idem nummus, medium scilicet concludendi in commercijs & contractibus efficit, utpotè sine quo illi consistere nequeunt, *l. 1. ff. de contrah. emt. Budel. lib. 1. c. 24. n. 29. de monet. & re nummariâ.* Quare summam rei monetariæ curam Imp. semper habuere & nè quid falsitatis circa eam committi posset, sibi solis percutiendi, probandi, reprobandi, mutandique ejus arbitrium reservârunt *l. 2. C. de fals. monet. c. un. quæ sunt regal.* Unde jure Saxónico *Landrecht lib. 3. art. 60.* Regi Romanorum in quacunque civitate, quam ipse ingressus est moneta non minus, quàm vectigalia vacant: Pristinæ scilicet originis intuitu, quâ jus cudendæ monetæ ipsius ossibus Principis cohærere putatur. *Vves. consil. 60. n. 31.* Unde nec ullius, quàm Principis effigie moneta visebatur:

*Rege figuratam regis patet esse monetam,
Cæsaris & Domino sub Cæsare fulget imago.*

ait *Gunther. in Ligur. lib. 3.* O magna inventa prudentum, ô laudabilia instituta majorum, ut & imago Principum subjectos videretur pascere per commercium, quorum consilia invigilare non desinunt pro salute cunctorum, ait *Cassiodor. lib. 6. var. Epist. 7.* Cujus rei dignitas quanta fuerit, ex eo æstimare licebit, quod Persarum Imper. loquor verbis *Pro copij lib. 3. de bello Goth.* & si ad arbitrium argenteum numisma faciat, auro tamen illi non fas est suam ut imponat imaginem. Nec Barbarorum Princeps alius quicquam

id fa-

id facere aufit. Hinc est, quod illi, qui falsa fusione nummos formaverint, majestatis crimen committant, eorumque facultates fisco addicantur, flammisq; exurantur *l. 2. C. de fals. monet.* Si unum lædere, legibus putatur esse damnandum, quid ille mereri poterit, qui in tantam hominum numerositatem peccaverit, inquit *Cassiod. lib. 7. var. epist. 32.* & paulò antè, omninò monetæ integritas debet quæri ait, ubi & vultus noster imprimitur & generalis utilitas invenitur: Quidnã erit tutum, si in nostram peccetur effigiem, & quam subjectus corde venerari debet, manu sacri legis violare festinet. Ex quo intelligimus, quod etsi nummi essentia ab autoritate Principis dependeat, materiæ tamen bonitatem vel maximè eum exposcere, & ideò ut legitimus sit, requiritur. Ue nec materia nec forma sit adulterata, & pondus. His enim ex tribus monetæ cujusvis perfectio censetur, justum sit *l. 1. C. de veter. numis. pot. Constit. crim. Caroli V. art. 3.* Verùm in hoc titulo non solum Regi Bohemiæ monetæ auri & argenti in regno suo cudi facere posse confirmatur, sed etiam Electoribus cæteris de novo indulgetur. Quo fine si liberalitas subsequentiū Imp. perstitisset, utiq; intuitu sollicitudinum et laborum, quos Electores pro quiete publicâ sustinent, id iniquum putari non posset. Sed quia ea eousq; tandem evagata fuit, ut etiam ad inferiores status jus monetandi non solum derivatum sit, *Recessu imperij Anno 1551. S. vnd sollen betrogen.* Verùm etiam privatis id concessum moribus & consuetudine receptum attestentur, *Budel. t. 4. n. 5. lib. 1. de monet. & re nummariâ. Reusner. conf. 7. n. 36. vol. 3.* Ideò in capitulatione novissima Imperator permisit se sine consensu Electorum in posterum nulli statui jus monetandi concessurum, ne scil. quod specialiter in usum publicum constat inventum, in privatorum transeat compendium, ut loquitur *Cassiod. lib. 5. var. Epist. 39.*

X.

Permittitur insuper in hoc titulo Regi Bohemiæ cæterisque Electoribus, ut à quibuscunque Principibus, magnatibus, Comitibus & personis alijs quascunq; terras, castra possessiones vel prædia emere, comparare seu in dominium ex quacunq; causa aut in obligationem recipere liceat, ita tamen quod libera, ut libera, feuda verò ut feuda tenere, deq; ijs consueta jura imperio

Ff

rio

rio exhibere adstringantur. Quâ quidem in re consuetudinibus feudalibus derogatur: ijs enim vasallus feudo cadit, si sine consensu domini feudum alienat, dominum quippe contemnere videtur *c. un. in fin. quæ fuit prim. causa benef. amitt. c. un. de prohib. feud. alien. per Lothar.* Quoniam verò nec Dominus vel vasallus agnatorum jus siquidem antiquum feudum fuerit, intervertere poterit, *c. un. de alien. feud. pater.* Ideò si alienatio sine eorum consensu processerit, mortuo alienante illi feudum revocare poterint. *Rosenhalk. c. 9. concl. 58. n. 35. de feud.*

AD CAPUT XI.

XI.

Duo Electoribus conceduntur privilegia, quorum primo ad exemplum Regis Bohemiæ *tit. 8. supr.* Subditos eorum ad quodcunq; aliud tribunal præterquam ipsorum Electorum evocari vetatur. Quare nec ad summi Principis curiam citati comparere tenentur, qui aliàs cum quocunq; vasallo & inferiore in jurisdictione concurrat *l. 1. §. cum urbem ff. de offic. præf. urb.* De substantia enim & formâ imperij cujusq; est, ut penes quem imperium est, eundem individue jurisdictione sequatur, *Paurm. c. 18. n. 9. lib. 1. de jurisd.* Et ideò Imperatori in omnes jurisdictione immediata est, *Ordin. Cam. p. 2. tit. 27. & juxta Bl. in c. un. de pace juram. firm.* Apud Principem tanquam fontem omnes jurisdictiones resident, & ab eo fluunt & refluent, Sicuti flumina ad mare, habetq; jurisdictionem in homines hominum suorum. *Mod. Pistor. cons. 28. n. 14. vol. 1.* Quare quando Princeps de causa se intromittit, videtur eam ab ordinario avocare, ac manus ejusdem, nè quicquam ulterius attentet, ligare *c. ut nostrum. de appell.* Vigoreq; suæ supereminens jurisdictionis subditos statuum testimonij dicendi causa absq; omni juris subsidio evocare potest *l. sed et si §. ult. ff. ex quibus causis maj. l. non aliàs ff. de judic.* Sicut ei rei observantiam Camerae praxis ostendit: Commissarius n. à Camera datus non solum testes immediate, sed etiam mediate imperio subjectos examinat, quia hujusmodi commissiones sub nomine & sigillo Caesaris decernuntur, licet à nonnullis

Nullis statibus quandoq; contradictum fit, ait *Gail. 1. obs. 98. nu. 2.*
 Quod fortè de contradictione Augustæ 1548. factâ intelligendum
 ubi status Imperij ratione evocationis & mandatorum gravissimè
 conquesti sunt. *Rutg. Rul. lib. 5. c. 2. 3. n. 26. part. 1. de commissar.* Sanè
 cum olim Augustus Elector Saxonix testibus mandaret, nè com-
 parerent, commissarius hac de re conquestus impetravit à Came-
 rà mandatum sine clausulâ, quod & Electori insinuat, qui etsi
 prætenderet hujus bullæ privilegium, cum tamen, inquit *Rutger.*
Ruland. d. c. 3. n. 25. extensiones sint stricti juris, an eousq; se hæc de
 non appellando & non evocando privilegia extendant, dubito:
 Præsertim cum favor probationum sit maximus, & in morâ sæpè
 periculum ratione examinationis testium verletur. Ideoq; hæc
 non ita curiosè attendenda. Et certè *pr. h. text.* non de evocatione
 eâ quæ fit testimonij dicendi gratiâ, sed eâ, quæ litis causa fit, lo-
 qui verba satis manifestè ostendunt, & hanc, non illam inhiberi,
 Quod & observantia à cæteris statibus tracta satis insinuat. Cum
 n. subseqq. *Imp. indulgentia privilegium hoc ad alios quoq; sta-*
tus extensum sit, ijsq; juris hujus conservandi causa Imperatores
inter cætera tempore electionis promittere soleant, se eorum sub-
ditos ordinarijs suis judicijs relicturos *Reisn. conf. 6 n. 6. vol. 2.* Atque
 adeò reliqui status Electoribus in usurpatione juris evocatorij æ-
 quiparantur: Illorum verò subditos à commissarijs testimonij
 ferendi gratiâ evocari constet, nihil est, quod impediât, quò minus
 & Electorum subditi ejus rei causa evocari possint, Præsertim cum
 non minus Electores, quàm cæteri status in Camera jurisdictionem
 consenserint, eiq; per viam contractus cum Cæsare initi se
 obligaverint: Et ideò cum cursus ejus judicij sine probationibus
 dirigi nequeat, vi consequentiæ ad evocationem subditorum sese
 obligasse, dicendum videtur.

XII.

*Quid verò si Electorum subditus in alterius Princi-
 pis vel status territorio delinquat vel contra-
 bat, poterit nè evocari?*

Et quamvis de jure communi locus delicti & contractus forū
 Ff 2 tribuat,

tribuat, *auth. in provincia. C. ubi de crim. ag. l. omnem l. argentariam. ff. de jud. l. heres. §. 1. & 2. ff. eod.* Attamen cum verba textus nostri nimis sint generalia ibi: pro quacunq; causa criminali, civili vel mixtâ seu quocunq; negotio: putarem id rectius negari præsertim cum hodiè remissiones non admodum frequentari soleant, & nocentes ibi plerunq; puniri, ubi inveniuntur & morantur. *VVes. de jud. n. 16. in π.* in causa tamen fractæ pacis Electorum subditos à Camerâ evocari posse ostêdit *Ordinat. ejusdem t. 9. p. 2.* quæ ita generaliter fundat jurisdictionem Cameræ ait *Pet. Frid. c. 22. in pr. lib. 1. de process.* ut non modò immediatè, sed etiam mediatè imperio subiecti nullo obstante privilegio, nulla fori declinatoria, violatæ pacis nomine ad eam recta evocentur: Lex autem generaliter scripta qualescunque sive mediatos sive immediatos Dominos sive subditos obligat *l. 2. ibi neq; additur. ff. de vi bon. rapt. & cum solus Cæsar bannum imperij irrogare potest, Gail. lib. 1. c. 6. de pace publ.* Ideò is solus per Cameram quæ ejus vice judicat, in causa turbatæ pacis cognoscere debet, *argumento l. de quâ re. ff. de jud. Gail. d. lib. 1. c. 17. n. 3. de pace publ.* Hinc est, quod licet Duces Austriæ & Lotharingiæ quoad processus tam primæ, quàm secundæ instantiæ Cameræ jurisdictionem non adgnoscant: Tamen si vel ipsi vel subditi eorum pacem publicam violârint, conveniri poterunt, *Frid. d. c. 22. n. 2.* Sola Domus Burgundica etiam in hoc casu cum suis Ducatibus & dominijs libera est, idq; ex conventionem inter Caroli V. Imper. & status Imperij Anno 1548. initâ *Gail. d. c. n. n. 6.* Quod satis dignum admiratione *Frid. d. loco* putat: Quid enim aliud à L. L. pacis publicæ eximere inquit, quam in communis reip. socios armare & quasi fenestrâ aperire ad vis publicæ exercitiû, quæ tamè consequentia ex concessione privilegij ejus duci non potest: Nam licet à Cameræ jurisdictione turbantes pacem publicam eximantur, non tamen jurisdictioni judicis ordinarij subducuntur, *Gail. d. c. 17. n. 6.* Transactio verò ista Burgundica non ad ipsum Ducem sed subditos ejusdem pertinet, sicuti Anno 1560 latius conclusum, & Duci ut imperij vasallo pacis publicæ observantia injuncta fuit: Et consequenter si eam violaverit, non secus ut quis imperio subiectus in Camerâ conveniri potest *d. t. 9. parte 2. Ordinatione Cameræ.*

XIII.

Secundo privilegio expressè constituitur, quod nulli Comiti, Baroni, nobili, vasallo, civi vel rustico Electorum tam secularium, quàm Ecclesiasticorum à sententijs eorum aut etiam judicum suorum appellare liceat. Cujus concessione etsi ipsa Imperij majestas enervata, *Bodino c. 10. lib. 1. de Rep.* videatur. Tamen si inter formam ipsius majestatis, quæ in dignitate Imperatoriæ consistit, & ejusdem effecta, quæ nihil aliud, quàm tessera & signa supremæ potestatis sunt, distinxerimus, facilè sua Imperatori constabit majestas: Hæc enim ubicunq; ponitur & effecta ut ponantur consequens est: At non ubi effecta sunt & majestatem poni, illamq; ab Imperatore avelli sequitur. Exemplo appellationis & extremæ provocationis id constat, quæ etsi effectum sit majestatis, ita ut ubi majestas sit, ibi & extrema provocatio necessum constituatur: At non ubi extrema provocatio est, ibi & majestas erit, sed integra illa penes Cæsarem manet: Sic olim Caligula Magistratus omnes extra provocationem judicare jussit, quod cum in desuetudinem ierat: Hadrianus Augustus renovavit, & nè à Senatu provocaretur vetuit. *ff. à quib. appell. non lic.* Et à Præfecto prætorio appellare Principem non licuit *l. 1. ff. de offic. præf. prætor.* *Cassiod. c. 3. lib. 6. variar.* qui & causas appellatione suspensas judicabat. *Guido Panciroll. c. 5. in not. orient. imper.* A Præfectis quoque urbi inhibita appellatio fuit, *Cassiod. c. 4. lib. 6. variar.* *Guid. Panciroll. c. 25. in not. orient. Imp.* Justinianus à magnificis suis iudicibus appellari prohibuit *l. in offerendis C. de appell.* Octo curiæ majores Francorum, quatuor Hispanorum, Rota Romanorum, quadraginta Venetorum, curia Neapolitana, Mediolana, pleraq; iudicia tùm publica tùm privata disceptant ac definiunt extra provocationem. *Bodin. d. c. 10. lib. 1. de Republ.* Nec tamen propterea vel prisce illi Romanorum Imp. aut etiam Reges Francorum, Hispanorum, alijsq; jure majestatis se abdicarunt: Interdum Imperator ita solet dare iudicem, ait *ICrus*, nè liceat ab eo provocare, *l. 1. ff. 4. ff. à quib. appell. non licet.* Cur ergò non id sapientissimis Electoribus concedere salvâ majestate posset? Eos quippe cum ob singularem industriam exploratâ ipsorum fide & gravitate ad hujusmodi officij magnitudinē adhibentur, nō aliter credit iudicaturos esse pro sapientiâ ac luce dignitatis suæ,

Ff 3

quàm

quàm ipse foret iudicaturus, ut de Præfectis Prætorio dicitur *in l. 1. §. 1. ff. de offic. præf. prætor.* Quibus Electores æquiparari solent. Ab Electoribus provocatio non conceditur inquit *Peucer. lib. 5. Chron. tit. de stat. Imper. post Frider. 2.* quod æquales censentur autoritate & potestate præfectis prætorio. Cæteris tamen hoc eripuit consuetudine longi temporis. Contrarius usus introductus, uno excepto Electore Saxonix, qui quod in vestigia successit Præfecti Prætorij, antiquum muneris hujus jus & lege Carolinã renovatum conservavit & præscriptione confirmavit, nè scilicet liceret à iudicio & sententia ipsius subditis discedere. Nè verò cuiquam de esset copia juris, data opera est ab Electoribus Saxonix ut forma iudiciorum publicorum in hisce terris congrueret cum veteribus legibus, & à sententia horum concederetur provocatio, cum ad necessarias atq; iteratas etiam si sit opus recognitiones declarationesq; negociorum, tum ad Principis ipsius iudicium ac definitionem: Quæ tertia & ultima est, ultra quam nè II. quidem Imp. aliam permittunt. Quod ergò iustissima esset & legibus maximè consentanea hæc iudiciorum forma, non approbata tantum ab Imper. Ferdinando nuper, sed & stabilita fuit, atq; munita autoritate publicã nè tentare subditis provocationem ad aliena iudicia liceat. Brandenburgicus tamen Elector non ita dudum per concessionem Imperialem hoc jus recuperavit, *Heig q. 4. n. 32. lib. 1. qq.*

XIV.

Id ergò Ecclesiastici, cum neglexerint, queritur: an appellationes ab ijs ad Pontificem vel Camera-ram dirigenda sint?

Et quidem si causa Spiritualis sit, receptum est, eam per appellationem devolvi ad Pontificem vel ejus Legatum. Si verò profana & summa appellabilis sit, ad Camera-ram dirigi. Periculum enim aliàs erit, nè Principes paulatim Romam evocentur & trahantur ad litigandum ibi de suis feudis, territorijs & dominijs, & populus sive plebs de suis hereditatibus, ut ex Paponio notat *Pet. Frid. c. 11. n. 6. de process. lib. 1.* Verùm hæc distinctio in imperio protestantium intuitu cessat, quippe quo omnis jurisdictio Ecclesiastica

siastica Pontificum & Episcoporum sublata est, *Recessu imperij Anno 1551. & 1566. Schonb. lib. 4. c. 6. in Polit.* Ita ut nulla ab Imper. vel Camera vel Curijs Statuum etiam Ecclesiasticorum ad Papam concedatur appellatio, quod jam tempore Concilij Milavirani, cui Augustinus interfuit, decretum extat: Sacerdos autem aut Episcopus ultra mare, i. e. ad Papam appellans pro excommunicato declaratus fuit. *Ioh. VVolf. cent. 5. Anno 420. lect. memorab.* Et Henricus III. Imperator sub attestatione divini nominis affirmabat, inquit *Schaffsburg.* se in eum, si quis id praesumpisset capitali sententia animadversurum, & omnia, quae ejus essent usq; ad internectionem dissipaturum, clademq; ejus diei multis postea seculis non abolendam. Fridericus I. sedem quoque Pontificiam appellari vetuit. *Ioh. VVolf. cent. 12. Anno 1155. lect. memor.* Alimanniae Principes privilegio communiti sunt, ait *Crantz. lib. 10. c. 38. in Sax.* quod teneantur in locis extra limites imperij comparere, cujus privilegij conservator fertur esse Comes de Schvartzburg. Et recte censura Pontificiae, quam Decanus & Capitulum Ecclesiae Cathedralis Coloniensis contra Comitem Philippum von Direnberg Anno 1505. procurarunt, Imperatoris mandato ab omnibus ferè statibus contradictum fuit. *Benbell. de Godent. p. 2. c. 5. in suscit. Princip.* Noluitq; Princeps Juliensis executoriales Romae à Papà decretos in causa Nobiliū successionis exsequi: Et nescio quis in causa tutelari provocans ad Papam à fiscali accusatus Anno 1512, 20. Febr. in poenam 100. marcarum auri cum refusione impensarum condemnatus fuit, *prajud. Camer. t. de appell. à quibus & ad quos.* Papam quippe appellantibus nihil accrescit, nisi labor corporis, amissio rerum, afflictio Spiritus & evisceratio mentis atque evacuatio gratiae, ut Henricus Archiepiscopus Moguntinensis dicebat. *Conrad. Episc. Mogunt. in Chron.*

XV.

Cum verò textus noster mentionem saltem faciat Electorum, incidit dubitatio, an ad alios ejusdem familiae Principes privilegium hoc de non appellando extendi possit?

Et

Et quidem pro dubitandi ratione id allegari potest, quod privilegium de persona in personam, multò minus de familià in familiam extendi soleat, *Tapia p. 2. c. 3. n. 70. in l. f. C. de constit. Princip.* Et quod cessante privilegij causa, quæ est multiplex sollicitudo, quam Electores pro imperij quiete sustinent, cessare debeat privilegium *l. 2. in gl. f. C. de Episc. & Cler. l. Titio Seio §. usurarum. ff. de legat. 2.* Quodq; privilegium, quàm maximè potest, restringendum sit, nè lædat jus commune. *Curt. consil. 5. in pr.* Quæ quidem rationes obtinerent, si per modum privilegij extensivum procederemus. Verùm, quia Impp. expressæ adsunt constitutiones, quib. id ad alios Principes Saxonicae familiæ traductum est. Ferdinandi maximè Anno 1555. Rudolphi II. 1586. meritò Superiorum vis cessat omnis, fuitq; causa extensionis haud dubiè rationis idenditas. Causa enim privilegij inductiva nempe verosimilis ignorantia juris Saxonici, quam illi, qui in aula Impp. aut etiam in Camerâ Imperiali adsident, habere præsumuntur, cum eadem sit, vigeatq; tam Ducum, quàm Electoris Saxoniae intuitu, animis gratissimis agnoscendum est, quod prudentissimorum Impp. concessione longiore processus Cameræ mora subditi eorundem liberati sint. Reipubl. enim tranquillitas in processu juris sustinendo ejusque maturâ expeditione consistit *l. 13. C. de judic.* Et quamvis judicium Camerale perfectissimum justitiæ lumen sit, ut ait *Ventura de Valent. lib. 1. c. 16. n. 4. in parthen. litig.* Columen & asylum collitigantium, oppressorum, domesticæ disciplinæ, legum, morum, totius Reipubl. propugnaculum & incorruptissimum judicium, imperij dicasterium, quod cum nobilissimis Gallia, Hispania, Neapoleos Parliamentis certare possit: Tamen hoc nostro malitioso seculo omnibus Germaniæ admodum litigiosæ litib. atque malitijs cohercendis non est sufficiens. Sæpè enim unus procurator mille lites agit, quas omnes si enumeraveris inter 24. procuratores, numerus litium multa millia excedit. *Petr. Frid. Mind. in epistola dedicat. 1. de extrah. process.* quinque litium Cameralium causas recenset, primam adscribit ipsis litigantibus, secundam Advocatis & Procuratoribus, tertiam processui, quartam causarum multitudi- ni, quintam ipsis judicibus atque adessoribus, quas qui volet, videat.

deat. Nec tamen leviter, credat ait, Keller, c. 29. lib. 2. de off. iun. poss. quia sunt valde exosæ. Et quidem extensio privilegij Ducum Saxoniarum intuitu saltem facta est, Brandenburgicos enim quod attinet, communi illi utuntur jure, solusque Elector hoc jus recuperavit, Knichen c. 2. n. 34. verb. jus tr. de jure non prov.

XVI.

Cum verò privilegium hoc intuitu Saxonum sit notorium, quid dicendum, si victus causam per appellationem ad Cameram devolvat, alterque litigantium, & subditus eorundem citetur, an comparere vel allegare sufficiat privilegium?

Et quidem in Camera Imperiali observatur, ait Gail, 1. obs. 31. in pr. quod in extrahendis sive decernendis processibus ad fundandam jurisdictionem Camere, statur narratis supplicantis tantisper, donec in processu causæ contrarium probetur. Idque obtinet tam in causis simplicis querelæ, quam in appellationum. Non ergo sufficit allegare, sed necessum appellatus compareat, forique privilegium proponat, ut iudex summarie cognoscere possit, an sua sit jurisdictio l. 2. §. sed si dubitetur l. si quis ex aliena ff. de judic. Mynscent. 2. obs. 9. n. 2. Verum quia hoc privilegium notorium est, ideo in scriptis iudici id allegare sufficit. Mynscent. 6. obs. 3. quod pertinet id, quod Gail. tradit d. obs. 31. n. 4. quando iudici notorium est, narrata supplicationis falsa esse, jurisdictio Camere fundata non est. in casu autem nostro cum ex insinuatione privilegij Camere facta; Recessu Imper. Anno 1570. §. Wir sehen / ordnen vnd wollen / Petr. Donays. verb. appellationis privilegia, n. 30. in comp. jur. Cam. tum ex allegatione ipsius allegati iudici constat, narrata falsa taliaque esse, quæ jurisdictionem fundari non patiuntur. Unde & Anno 1600. constitutum, quod insinuationum Camere privilegiorum major in posterum, quam hactenus factum videatur, ratio haberi debeat. Petr. Donays. d. verb. appellationis privilegia n. 30. Quod jam antea

Gg

in d.

in d. recessu anno 1570. §. Wir ordnen verb. vnd damit vnse Cammerrichter vnd Besizer sich darnach in ertheilung den Process vnd sonst darauff der gebühr zu verhalten wissen. Constitutum fuit. Multò magis ergò si ad petitionem appellati iudex, à quo per literas Judici Camerae statum causæ foriq; privilegium exponat, appellanti processus denegari debet.

XVII.

Quid verò si adversus eorum sententias victus supplicaverit?

A præfecti prætorio sententiâ appellare non licet *d. l. 1. de off. præf. præt.* Supplicare tamè licet *l. un. C. de sent. præf. præt. c. nostros a. Nov. 82.* Et quamvis Princeps appellationem non recipit, nihilominus ipsi supplicari potest *l. ei cuius §. non recepta ff. de appell. recip. Menoch. conf. 406. n. 25.* Diversa sunt quippe remedia: Appellatio iniquitatis vel imperitiæ iudicem priorem arguit *l. 1. de appell.* Supplicatio verò proprii erroris veniam aut adversarij circumventionem implicat *l. 19. ff. de minor.* Attamen cum in effectu causa per eam ad alium, quàm Saxones devolvatur, quibus prospectum hæc Bulla voluit, generaliter definirem, non attentâ summâ vel negocij qualitate, nec supplicationem, revisionem, reductionem, nullitatisque querimoniam, nec quicquam aliud subsidium, per quod controversia ad superiorem devolvitur, admitti debere, *Knichen. verb. jus c. 2. n. 45. d. 11.* Non ignoro *Tho. Mich. th. 26. lit. E. in f. de jurisd.* nullitatis querimoniam sublatam non esse styloq; Camerae eam comprobari adferere, & super nullitate agi posse & pariter mandata contra Duces Saxonie decerni, testatur *compilat. præjud. seu cur. Cam. rit. de pers. privil. & conclusum fuisse in Camera dicit Gail. 1. obs. 135. n. 4.* non attento privilegio de non appellando, citationem super nullitate principaliter deducenda, absq; inhibitione decerni posse, eò, quod appellatio & nullitas diversa & separata sint remedia, ita ut uno sublato aliud adhuc superesse videatur *c. inter cæteras extr. de sentent. & re jud.* Quæ quidem si in proposito militaret consequentia, nec supplicatio, nec revisio vel etiam reductio inhiberetur, quia diversa & separata sunt ab appellatione remedia. Et sanè in terminis nostris, non diversa sed cum respectu causæ, indu-

inductivæ tùm finalis eadem esse liquidò apparet. Quæ enim ratio ex ignorantia juris Saxonici resultans ad alios, quàm Saxones inhibuit appellationem, valet etiam in omni remedio suspensivo, præsertim v. nullitatis. Quippe cum in ordinatorijs, tùm in litis decisorijs alia & separata à communi jure juxta quod Camerales judicant, inducta sint, quæ non servata, nullitatem, quidem inducere possunt, & tamen non nisi à Saxonibus determinadum. Finis quoque idem est in cæteris, qui in appellatione, nè scil. litium tela in immensum extrahatur. Quid? quod nostri tradunt, executionem rrium conformium sententiarum per exceptionem nullitatis impediri non posse. *Zaf. in l. 4. §. condemnaturum n. 3. ff. de re iud. Myns. 6. obs. 4 n. 3.* Et ideò cum tres conformes resultent sententiæ, priusquã victus Cameram adire queat; vel enim per viam simplicis querelæ negocium ad aulam devenit & post definitivam victo leuterasio & oberleuterasio suppetit; vel per viam appellationis devolutum est, & prior posteriorq; instantia ei quatuor cum sententijs exhibeat, frustra de nullitate conqueritur, cum & eam, si qua est, in tã diversis terminis & instantiis corrigi peti possit: Nec verosimile est, in tantorum Principum Consistorijs, quibus viri spectatæ doctrinæ vitæq; adsident, quiq; apta ad sapientum consilia mittere solent, tale aliquid vel intra curricula multorum annorum contingere, quod nullitatis verè insimulari possit, ut propterea si capitolior exoriatur, ubi tot termini & instantiæ non sufficiunt, aliæ ei minimè concedendæ sint, ne exemplo ejus alij invitati velamento nullitatis per annorum plurium spacia causæ justitiam obnubilent, & sententiarum executionem suspendant. Quare graviter in constit: hujus provinciæ tit. 16. constitutum est: *Were es auch sache/das sich jemandes/ wer der were / in vnsern Landen / Herrschafften vnd Gebieten gefessen/ an den ordentlichen Gerichten in vnsern Landen nicht würden begnügen lassen/ sondern davon beruffen vnd appelliren/ oder sonst außlendische Bericht wider die vnsern/ zu wider der löblichkeit vnd im Hause zu Sachsen wolhergebrachten Freyheit vnd gewohnheit sachen/ der sol seiner Lehn vñ Erbgüter verlustig seyn/ oder in mangel derselben/ am Leibe gestrafft werden.*

XVIII.

Restringitur hoc privilegium si querulantibus justitia denegata fuerit.

Gg 2

Ratio

Ratio est, quia cum Reges & Principes constituti sunt, ut faciant iudicium & iustitiam, sicuti Regina Saba Regi Salomoni dicebat *lib. 1. Reg. 10. Sap. c. 6. Psal. 82. & Phil. 5. pol. 10. scribit*: Reges custodiae defensionisq; causa constitutos ut & locupletes prohibeant injuriâ, & inopum multitudinem contra locupletum injurias tueantur, consequens est, si iustitiâ subditis denegaverint indignos se iudicantiû officio facere *c. fit tibi. Nov. de mand. Princip. Gail. 2. obs. 28. n. 1.* Remotâ enim iustitiâ quid aliud sunt regna, quàm magna latrocinia? *Augustin. lib. 4. de civit. Dei.* Unde ab officio iudex removeri, si magna sit ejus negligentia *l. si quos. C. de offic. pref. prat. orient. l. eum qui C. de procur. Gail. d. obs. 28. n. 8. Farin. lib. 1 t. 5. q. 37. n. 74. de jud. & tort. & rex propter injustitiam deponi potest, Land. q. 155. de princ.* Injustitia enim facit vacillare corda subditorum à suis dominis, *Andr. Knich, in verbo jus c. 3 n. 81.* Cujus intuitu iudex Ecclesiasticus omisso laico adiri potest. *Mont. decis. 23. n. 10* quemadmodum etiam laicus, si Ecclesiasticus iustitiam clerico denegare præsumserit, compelli potest *Farin. qq. crim. 8. n. 23.* Putantq; nonnulli privilegium hoc, si unicus contra illud resultaret actus amitti *l. eos C. de aquæd. Franc. Vivius decis. 208. n. 6.* Quod durum esset, pœna quippe culpam egredi non debet, quare illud in causa, in quâ iustitia denegatur, & non in alijs admittem. Liquido autem superiori iustitiam denegatam esse constare debet, quam ideò ut instrumento publico supplicans doceat, necesse habet, nec enim juramento suo ejus de negationem probare potest, *Gail. d. obs. 28. n. 3. Mynsing. cent. 3. obs. 57.* ad avertendas verò hujusmodi querelas Principes nostri imitari solent Carolum Burgundiæ Ducem, qui diebus tribus & Carolum Magnum, qui die uno in hebdomada auditorio interesse volebant; & hic quidem exemplo laudabili se præsentate illas agitari causas satagebat, in quibus ejus ministri jus dicere nolissent, & qui litigabant injuriam sibi factam, querebantur, ut hoc freno coercitis iudicibus integra & inviolata iustitia staret, quod ipsum Justinianum quoque constituisse videmus, si dicat te adijisse, inquit, & quod iustum est, non impetrâsse, & hoc verum inveniamus, in te indignationem convertemus *c. 3 in Nov. de mand. Princip.* Parvi quippe refert, ut *Cic. in epistola ad Q. Fr. scribit*:

bit: Abs teipso jus dici æquabiliter & diligenter, nisi idem ab ijs fiet, quib. tu ejus muneris aliquam partem concesseris.

XIX.

Cum verò Bulla nostra disertis verbis saltem mentionem faciat subditorum Electoralium, non obscure eò innuitur, ipsos Electores & Duces Saxonie privilegio ejusdem non frui, quare si vel ipsi à suis subditis conveniantur vigore ordinationum curiarum provincialium Saxonicarum coram ijs de bonis, seu redditibus Cameræ stare seu respondere coguntur. Si verò à non subdito conveniantur in caussis in prima instantiâ ad Cameram pertinentibus jurisdictioni Camerali subjacent, *Thom. Mich. th. 26. lit. E. de jurisdictione.*

AD CAPUT XII.

XX.

Cum teste Catone Censorino ab nullo genere non summum periculum sit, si cœtus & concilia & secretas consultationes esse frinas, ideò Romanis ll. absq; summi Principis concessione etiam prætextu salutis publicæ convenire non licuit *l. 1 ff. de colleg. illic. l. conventicula. C. de Episc. & cler.* Principis quippe proprium est de rebus ad Rempubl. pertinentibus consilio Procerum conventus agere *l. humanam. C. de ll. nec hi non nisi vocati ejus curam suscipere debent, nè aliàs, ut Tac. notat. in rebellionem Galliarum per conventicula & cœtus differant seditiosa.* Etenim infidiosa adversus Principes conjuratio, ut *Polybius lib. 6.* scribit, non est ex infimi subsellij hominibus, sed ex generosissimis & ijs, qui animi magnitudine & confidentiâ valent, propterea quod tales imperantium sibi contumelias & insolentiam minimè ferre possunt. Hinc est quod consultorum opinione jus indicendi conventus publicos summi imperij signum esse videtur. *Bodin. c. 7 lib 3. de Republ. Chass. p. 5. consider. 169. in catal glor. mundi.* Quod Romuli exemplo clarescit, qui etsi plurima populo ad majestatem pertinentia concessisset, jus tamen populum convocandi Senatūq; cogendi sibi reservavit, *Halicarnass. lib. 2.* Cujus imitatione Reges Galliarum, Hispaniarum, Bohemiarum

Bohemiæ ut peculiare dominationis signum sibi hanc potestatem adferunt, *Heig. lib. 1. Quæst. 4. n. 44.* Existimant quippe Reip. fundamentum eâ contineri; utpote cujus medio vel conservari per deliberationes rerum necessariû, vel etiam everti per consilia pravorum potest. Sed ut alia, ita & Imperator congregationem collegialem ipso inscio singulis annis instituere hac Bullâ permittit Electoribus, eò quod multiplices Reip. curæ non patiantur eû omnibus intentû esse, ipsiq; Electores solidæ bases imperij, & columnæ immobiles sint, cujus ideò salutē magis quàm ruinā quærēt. Quodque per longinquas terrarû distantias consistant, & ideò de emergentibus defectibus referre simul & cõferre, sanisq; cõsilijs ijs providere poterunt, *in pr. hic.* Quod institutû à tēporibus Constant. M. derivat *Nicol. Cusan c. 35. lib. 3. de concord. cathol.* qui Paulò ante nempe *c. 33.* subjicit: Postquam imperialia judicia & conventus cessavere, penè omnes deformitates sunt introductæ, Ordinētur itaq; inquit *d. c. 35.* conventus annui circa festum Pentecostes in Francofurdiâ, quæ videtur locus ex situ & alijs circumstantijs aptissimus, ad quē concurrant judices omnes & Electores in propriâ personâ absque pompâ & gravibus expensis, &c. Quod eû ex Bullâ haussisse apparet, quæ tamen locum certû non nisi primæ congregationi Metin Civitatem imperiale adsignat. Quo loco subit mirari Thuani Galli judicium, qui *lib. 10. Hist.* contendit, non deesse rationes, cur Henricus II. Rex Galliarû inito fœdere cum Mauritio Electore & alijs Principibus Metin urbem imperialem occupârit. *Sleid. lib. 24. de stat. relig.* Nam ut ex scripto Regis publico constat, profitetur se boni publici causa fœdus cum Principib. inijsse nec privatum ullum cõpendium aut fructum in eo spectare. *Sleid. d. lib. 24.* Fac ergò omnia illa Thuani argumenta, quibus antiquo jure, nempe ante tempora Ottonis I Imperatoris Metin urbem ad Galliæ regnum pertinuisse verum esse contendit; Attamen cum Rex fide regiâ se nullum ex bello illo spectare commodum, compendiumvè promiserit, quid aliud quàm perfidiæ velamentum argumentis illis quæri dicemus? Innuere illud voluit *Iohan. Bocer. de illustr. stat. & pol. lib. 8. c. 6.* Hæc ars alienarum urbium ac imperiorum defensionem suscipiendi Principibus seculi nostri non est incognita, ait, notissima certè fuit Henrico II. Regi Galliæ, quippe qui sub prætextu defensionis

nis imperij Civitatum adversus Carolum V. Imperatorem miro
 astu tres urbes munitissimas sibi adjunxit; id quod etiam Argento-
 rati sed frustraneo & irrito conatu attentavit &c. Facit idem nec
 Regem Galliarum ullam promissi superioris spem confederatis
 fecisse, an ideo, quia olim Metis ad Galliam pertinuit, bello tam a-
 stuto repeti potuit? Gallia pertinuit ad Imperium nostrum, bello er-
 go repeti potuit. Non admittet id Galli, quia ab eo, quod olim fuit,
 ad praesens arguere non licet. Sed astutis ingenijs praetextus spe-
 ciosi, quibus id, quod moliuntur, palliare solent, deesse non con-
 sueverunt. Cum Achab Rex Samariae vineam Nabathi peteret ea
 specioso hoc praetextu, quia propè & juxta domum ejus erat, vel-
 letq; ex eo hortum olerum facere, sibi cedi flagitabat *lib. 1. Reg. c. 21.*
Cn. Piso militem occidi jussit, quod ex comiteatu sine commilito-
 ne quasi eum interfecisset, redisset: Verum misero cervicem
 jam porrigenti apparet commilito, centurio supplicio praeposi-
 tus, reducit damnatum ad Pisonem, qui excandescens damnatum
 & commilitonem ipsumq; Centurionem occidi mandavit praetextu
 eo usus: Te duci inquit, jubeo, quia damnatus es, te, quia causa da-
 mnationis commilitoni fuisti, te quia jussus occidere Imperatori
 non paruisti, *Senec. lib. 1. c. 16. de Ir.* Sed cordati & prudentes rerum
 aestimatores praetextus eos execrantur, existimantes ejusmodi
 velamentis tanquam malitiosis dolis scelus perfidiamq; deterio-
 rem reddi.

XXI.

Vult verò textus noster, ut Electores personaliter conven-
 tui annuo intersint, quod tamen observantia subsequens, à qua
 Bullae hujus interpretatio desumi debet, non ita strictè observa-
 tum esse ingerit, sicuti vel ultimo nuperi conventus Noribergici
 exemplo constat, cui nomine Bradeburgici Electoris Legatus ejus
 Baro à Putliz interfuit. Sic etsi regimenti conventui, qui in locum
 congregationis Electoralis suffectus dici potest. *Paurmeist. lib. 2.*
c. 2. n. 48. de jurisd. Carolus V. Imper. Electores in personam per qua-
 drimestre spacium ad esse voluerit, *Recess. imperij An. 1521. §. In be-
 stendigkeit des fürnehmener/* attamen si impedirentur, per Legatos ea
 opera defungi potuisse textus innuit. Hinc verbis expressis
 in p. a.

in pr. 8. c. 3. §. 9. in Goldast. polit. Reichshand dicitur: Vnd die andern von Eheffziger Sachen wegen / die sie auff ihre rechte Wahrheit mit ihren offnen versiegelten Brieffen bekennen sollen / mit ihrem selbst Leib nicht kommen können / Räthe die sie auch als dann mit macht zu solchen Tagen schießen. Et hic quidem conventus collegialis omnium optimum remedium in magnis Germaniæ tempestatibus, litibus ac tumultibus reputatur. Ventur. de Valent. in part. litig. lib. 2. c. 3. n. 18. Hujus enim solius medio & remedio sacri Romani imperij possessio adversus Pontificis Romani molitiones & alias ejusmodi lites & malitias publicas semper fuit conservata & adhuc conservatur.

XVI.

Quæri hic debet; An Rex Bohemiæ huic collegiali conventui interesse soleat?

Et quidam sunt, qui distinguunt inter Electoralem & collegialem conventum, Wahl vnd Collegialtag, ut illi interesse, huic verò non itidem soleat. Quam distinctionem videtur hausisse ex *Hartm. Mauro de coron Caroli V. rubr. quo apparatu, &c.* Quâquam, ait, Rex Bohemiæ per rarò adsit conventibus & tractatibus Electorum: nec fœdera pro manu tenenda communi dignitate cum iisdem proximis seculis percusserit, non operas imperio, voluntariasq; collationes præstet, neque gratuita onera ferat, non deniq; in circulis illis, in quos imperium digestum atque partitum, comprehendatur: Tamen Elector imperij est, & tertium in consilio Electorum tempore electionis Regis suffragium habet, &c. Quæ quidem si vera sunt, ut verissima esse puto, distinctio illa æquissimo fundata erit fulcro: Siquidem immota est æquitatis regula, cum qui in commodis aliorum non premitur, nec commodis eorum sublevari debere, & unio Electorum seu societas jus quoddam fraternitatis continet. *Heig. d. q. 4. n. 49. lib. 1. quæ omnem inæqualitatem respuit, l. verum. §. si cum tres l. si non fuerint §. ff. pro soc. & quemadmodum is, qui in matriculam non descriptus reperitur, aliorum in eâ descriptorum privilegij non fruitur gl. in l. eos C. de offic.*

offic. magist. mil. l. f. ibiq. Br. C. de reb. cred. Gail. 1. obs. 21. n. 5. Ubiq; cum Rex Bohemiæ matriculæ unionis insertus non sit, sicuti apparet ex primâ illâ, quam sex reliqui Electores anno 1438. & altera, quam eisdem sex nullâ factâ mentione Bohemi an. 1521. inierunt. *Goldast. pol. Reichshand p. 8.* bonâ consequentiâ colligitur cum privilegijs in formulâ unionis expressis non gaudere, quorum hoc non minimum est, de quo jam agitur: Imò verbis claris *in t. 3. d. pr. 8. in f. 8.* Wenn es aber, quando collegialis conventus & quo loco instituendus sit, quiq; ad illum convocandi exprimitur, inter quos altum silentium est de Bohemo, cui si aditus ad eum pateret, non utique negligi aut præteriri potuisset, cum contemptus unius plus quàm contradictio multorum obsistat, *e venerab. extr. de Elect. & Elect. potest.* Quin quod alibi Ictus monet, si de interpretatione legis quærat, inspiciendum, quo jure civitas retrò in hujusmodi casibus usa est. *l. 37. de ll.* Id in rei præsentis decisionem derivando, cum posterior Electoralis congregatio An. 1611. Nurnberga celebrata Bohemi nullam rationem in eâ habitam fuisse ostendat. Contingentium de futuro casuum ratio ad eam dirigenda erit. Atqui dices, textus Bullæ nostræ distinctionem superiorem non agnoscit, sed Principibus, Electoribus tam Ecclesiasticis quàm secularibus annuatim convenire permittit. Inter seculares v. Bohemus numeratur, ut latius *l. 8.* demonstratum est, convenire ergò cum Coelectoribus suis poterit. Et quidem nō dubito, si ad tempus promulgatæ Bullæ nostræ respexerimus, Bohemum congregationi Electorum collegiali interfuisse. Verùm cum per observantiam contrariam vel quod interesse noluerit, aut aliâ de causa à Bulla nostra recessum sit, sicuti non solum instrumentis unionum Electoralium, nuperæque congregationis Nurnbergicæ conventu, verùm etiam Hartmanni Mauri Electoris Coloniensis consilij testimonio clarescit, ab illo quod olim fuit, ad præsens arguere non licet. Minus aptè adfertur, quod An. 1106. cognitio causæ vertentis inter Henricum IV. Imper. & ejus filium Henricum V. Regem Romanorum non potuerit absente Duce Bohemiæ decerni; sicuti probant ex rescripto, quod extat *Constitut. Imper. tom. 1. Goldasti. fol. 53.* Oporteret, inquit, nos habere saltem tales inducias inter quas possemus convocare & precibus invitare ad hanc eandem causam, ut sint vobiscum.

240 DISCURSUS QUINTUS; AD AUREAM

Moguntinum, Trevirenses, & Bremenses Archiepiscopos, Frisingensem, Augustinensem, Curientem, Basiliensem Episcopos, Ducem Magnum Saxoniam cum Duce Theodorico, Ducem Bohemicum, Comitem Flandriae cum Comite Burgundiae & alios, qui ad praefatum negocium, ut bene scitis, sunt valde necessarii. Minus apte inquam adfertur, quia ex illo rescripto non solum Bohemus, verum & alij nominati jus conventus Electoralis sibi pari jure adfererent, nec de conventu Electorum annuo, sed comitali, utpote in quo de depositione Imperatoris agendum erat, agit. Cui pro more illius temporis tam Ecclesiastici quam seculares Principes, imò & Comites interesse consueverunt, nec dum si talis instituendus esset, Bohemus illo excludi posset per ea, quae diximus *ad c. 8. hic*. Non nobis quoque adversatur *c. 4.* hujus Bullae, ubi Regi Bohemiae, cum sit Princeps coronatus & unctus, in qualibet curia primus assignatur locus. Loquitur enim textus ille de curia, hoc est, comitiis Imperialibus, non verò conventu Electorum solo. Sic enim verba principij habent: Statuimus insuper, ut quotiescunque Imperialem curiam ex nunc in antea contigerit celebrare, &c. Cui etiam tempore illo, non nisi locis nominatis Bohemus interesse compellebatur. Sicuti Friderici II. Imperatoris constitutione apparet: *Wir besreyen sie auch / ait Imperator, Damit der vorgenante Durchleuchtige König in Bohem vnd alle seine Nachkommen zu vnserm Keyserlichen Hoffe nirgende hinzuziehen verbunden seyn sollen / Es were dann sache / daß wir vnser Hoffhaltung oder Zusammentünffe gen Bamberg / Nürnberg / oder Merseburg anstellen würden / da selbst hin sollen sie zuerscheinen verpflichtet seyn.* Goldasti Reichsfassung fol. 30. Non etiam movet, quod Rex Bohemiae controversiae Rudolphi, item Ruperti senioris & Ruperti junioris comitum Palatini adfuerit, de observantia quippe contraria jam dictum est, à qua Bullae interpretatio desumi debet *d. l. 37 ff. de ll.* Olim Bohemus suo & limitato modo comitijs imperialibus adfuit. hodie nulla solet visitare, nisi ea, in quibus de Electione Regis Romanorum agitur, Elector tamen nihilominus est, sed ad Electionis actum saltem deputatus juxta notata *c. 8.*

XXII.

Porro in textu nostro Carolus constituit, ne tractatus communis,

munis, salutis & pacis per tractum & moram solatij seu excessivam convivij retardetur frequentatione, generales omnium Principum celebrare alicui non licere invitationes vel convivia, particularia utiq; quâ in re Platonis consilium *lib. 2. de ll.* secutus videtur, qui gubernatores atq; iudices munus suum subituros à vino penitus prohiber, deliberaturos quoq; de rebus omnino non negligendis de abstinentiâ quippe castæ prodeunt cogitationes, ait *Leo Magnus in sermone de jejuniis*, rationabiles voluntates & salubriora consilia. Hinc interrogante quodam, quam ob causam Spartiatæ parum biberent, respondit Leotyichidas nè pro nobis alij consultant, sed nos pro alijs, *Plutarch. in Lacon.* Persæ tamen & pleræq; nationes Græciæ inter pocula de rebus gravissimis deliberabant. Et Græcus fuit qui ait: Rectior à Saturo est prudentia consiliumque *Plut. quest. conviv. lib. 7. c. 9.* Germani Prisci quoq; de reconciliandis invicem inimicis & jungendis affinitatibus, & adsciscendis Principibus, de pace & bello denique plerunque in convivij consultiabant, tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut at magnas incalescat, ait *Tacitus de morib. Germ.* Rectè ne an secus id factum Plutarchus prolixè disputat *d. l. 7. quest. conviv. c. 10.* Cui equidem in potatione modicâ facilè assentior, hæc enim profert liberam linguam, & per eam etiam veritatem, nec iudicium obfuscat, timoremq; qui si quid aliud deliberantibus est obstaculo, expellit multosque motus alios ignavos & inertes opprimit, quarum consiliumque considerationum intuitu particularia convivia, quæ agendorum expeditionem non impediunt, utpotè in quibus ad sitim & latitiam inter paucos non ebrietatem bibi debet, permittuntur. Rectè verò generalia omnium Principum in quibus Cæsaris, Regum Principumque sanitates summos infimosque insanos faciunt, inhibentur, quippe quod *Seneca lib. 1. de benef.* scribit, habebitur aliquando ebrietati honor & plurimū meri cœpisse virtus erit, id apud nos usq; adeò præpotentium nisu invaluit, ut non rarò saluti potator, plusquam suavor magnorum demereatur gratiam laudemq; ex crimine consequatur.

Hh 2

Obviam

Obviam quidem huic malo Constitutionibus imperij itum est Maximiliani I. *Recessu Anni 1500. §. Von den zutrinken & Anni 1512. §. Von den Gotteslästern, Caroli V. Recessu Anni 1530 §. Von zutrinken, & Anni 1548: §. Von zutrinken, Rudolphi II. Recess. An. 1577. §. Von vbermessigem Trinken.* Sed in observantiam non venerunt, idq; pessimo exemplo & quadam turpitudinis infamiâ ait *Gail. lib. 2. obs. 110. n. 24.* rogant quippe ad jucunditatem, verba sunt *Ambrosij de Eliâ & jejuniis c. 14.* Sed cogunt ad mortem, invitant ad prandium, efferre volunt ad sepulchrum, cibos promittunt, tormenta irrogant, vina prætendunt, venena suffundunt, &c. Quid obtestationes Potentium loquar, ait idem *Ambros. d. tr. c. 17.* quid referam sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur, bibamus pro salute Imperatoris, inquit, & qui non biberit, sit reus in devotione, videtur enim non amare Imperatorem, qui pro salute ejus non biberit, ô piæ devotionis obsequium! Et paulò post: quid retexam audita, mihi non poculi sed proflugij genus esse videtur, quod in ora hominum tanquam per fistulas aut canales vina funduntur, hos homines an uteres verius existimaverim? Elephantes ferunt promuscide haurire aquæ plurimum eosdem tamen ad sedandam sitim moderato potu contentos esse. Sentiant qui velint dicantque saluti potatorem civilem esse, *Vent. de Valent. lib. 1. c. 13. n. 20. in parib. litigioso:* Nos cum Poëta concludimus:

*Una salus sanis nullam potare salutem,
Non est in totâ vera salute salus.*

AD CAPUT XIII.

XXIII.

Cum capitibus præcedentibus Carolus plurima privilegia indulget Electoribus, hoc tam sua, quàm prædecessorum suorum, quæ juribus & honoribus præfatis Electorum officiunt, revocat & annihilat, etiamsi in illis insertum sit, quod revocabilia esse non debeant nisi specialis & de verbo ad verbum in ijs seriatim mentio fiat. Nam cum sibi ipsi legem dicere nemo possit, à quâ cum voluerit ei recedere fas non sit *l. 13. §. 4. ff. ad Sc. Trebell. l. 22. ff. de leg. 3. l. 40. §.*

l. 40. S. ult ff. de fideicom. libert. & receptum sit, non modò privilegia, sed nè ll. quidem aut edicta mortuo Principe vim tenere suam, quia par in parem imperium non habet *l. 3. in f. de recept. arbitr. d. l. 13 §. 4.* Rectè id a Carolo constitutum videtur. Quà de causa Michael Hospitalis Gallix Cancellarius privilegia Vico S. Mauri à Carolo X. Rege concessa sigillo regio munire obstinato animo petente etiam Reginà recusavit, propterea, quod perpetuam tributorum immunitatem continerent contra naturam privilegiorum, quæ personis conceduntur, & consequentium Principum potestati præjudicare viderentur. *Bodin. lib. 1 c. 8. de Republ.* Neque si Hospitalis morem gessisset Regi, propterea privilegium id vitâ Regis diuturnius esse potuisset, cum privilegium à Principe concessum subdito à successore auferri possit. *Fr. Vivius decis. 207. n. 1. lib. 2.* resolutio enim jure dantis, resolvitur jus accipientis, *l. lex vectigali ff. de pignorib.* Et quia Rex est ad instar usufructuarij, nec n. Regni proprietatem habet, ejus quoque jure uti debet, & ideò nec successor ejus uti usufructuarij privilegium ratum habere cogitur *l. si quis domum §. 1. ff. locati. Molin. c. 8. n. 30. lib. 1. de Hispan. primog. Tapia part. 2. c. 9. n. 56. ad l. fin. ff. de constit. Principum.* Quare cum de Imperatoris enixâ voluntate derogatoriâ per verba illa maximè generalia Bullæ nostræ constet: Quibuscunque personis, cujuscunque status, præminentix, vel dignitatis, super quibuscunque juribus, gratijs, immunitatibus, consuetudinibus &c. Quorum vis etiam causam privilegiatam, quæ aliàs sub regulâ generali non continetur, implicat, *Gravetta cons. 249. Menoch. consil. 112. n. 57.* additaq; insuper sit specialis derogatio specialium quorumcunque privilegiorum, & quidem ex certâ scientiâ de plenitudine potestatis, utiq; revocatio jure facta censi debet *Menoch. d. cons. 112. n. 45. Tapia c. 2. in Rubr. de constit. Princip. Florentinus de Ven. cons. 16. n. 250. inter consilia Cantuuncula.* Verùm si quis pressius hæc consideraverit, inveniet hujus textus, ut & Dd. illam decisionem non sine difficultate transire. Vel enim privilegium cæteris statibus ex causa onerosa concessum fuit, puta, quia precio compararunt. Rarò enim hodie conceduntur immunitates liberaliter, sed habent in se præmium seu meritum, *ait Ruland. à Valle*

conf. 13. n. 62. vol. 3. Et revocari illud nec ex certâ scientiâ, vel etiam
 ex plenitudine potestatis potuit, concessio enim hujusmodi vim
 contractus obtinet, quo non secus Princeps ac privatus ligatur.
Rulandus à Valle d. conf. 13. n. 32. Tapiapart. 2. c. 9. n. 2. ad l. fin. de con-
stit. Principp. Vel ex causa remunerationis concessum fuit, & quia
 contractui æquiparatur, similiter nec illud cassari potuit argu-
 mento. *l. Aquilius Reg. ff. de donat. Tiraq. in l. si unquam vers. donatio-*
ne largitus n. 14. C. de revocand. donat. Ruland. d. conf. 13. nu: 21. & seqq.
Tapia d. c. 9. n. 6. Vel ex merâ liberalitate fuit indultum, & nec hoc
 tolli potuit, quia nihil magis, *inquit in terminis nostris Molin. c. 3. n. 18.*
lib. 3. de Hispan. primogen. Regiâ majestate indignum dici valet quàm
 quod Princeps absque causa possit propria privilegia revocare,
 cum inconstantia & variatio in Principe reproberetur &c. Et me-
 morabilis est Agefilai Regis sententia apud Xenephontem di-
 centis: Regiæ dignitati non astutiam sed bonitatis excellentiam
 convenire. Fraus cum omnibus fœda est. *Inquit Thucydides lib. 4.*
histor. cum verò ijs, qui majori dignitate præditi sunt, imò fœdi-
 er, quàm aperta violentia, quia vis jure potentiæ, quam fortuna
 dedit, infertur, fraus verò ab insidijs injusti propositi grassatur;
 Et heroicè Franciscus I. Galliarum Rex suadentibus nonnullis, ut
 Carolum V. Imper. in Flandriam properantem & apud ipsum di-
 vertentem detineret, respondit: Etiam si fides toto orbe exulet,
 Regibus tamen tenendam esse, qui nullo metu, nullâ poenâ, nisi
 virtutis & fidei reverentiâ ut eam præstent, cogi obstringiq; pos-
 sint, quo nomine Theodosium Imper. *Pecat. in Panegyri.* laudat,
 cujus tam certa beneficia fuisse scribit, ut tam accepta videren-
 tur quum sponderet, nec vota hominum falleret, secus verò
 Pertinax, qui, *teste Capitulino,* omnia liberaliter quidem promit-
 tebat, nihil verò præstabat. Sed legibus nostris neminem fa-
 cto suo contravenire posse, cavetur *l. post mortem ff. de adopt. l. si cre-*
ditorib. C. de servo pign. dato. Et si Carolus liberalis in Electores
 esse voluit, id eum citra dispendium aliorum statuum facere de-
 cuit, munificentiam nostram nulli volumus esse damnosam,
 ait Theodoricus Rex apud *Cassiodorum lib. 2. variar. Epist. 17.* nè
 quod alteri tribuitur, dispendiis alterius applicetur. *Et paulò*
 post

post, nec inferri à quoquam volumus, quod alteri nostrâ humanitate remisimus, nè, quod dictu nefas est, bene meriti munus innocentis contingat esse dispendium; statui quippe imperij nostri illud *Guntheri lib. 8. in Ligurino* non respondet:

— — — *Pro lege voluntas*

Principis esse solet; quicquid decreverit ille

Esse ratum, mos est & juris habere vigorem.

Quare nec Carolus privilegia prædecessorum suorum tollere debuit. Duo enim sunt, quæ in Principe considerari solent: Persona & Dignitas. Persona quidem moritur, Dignitas verò semper & ubique, quamdiu imperium durat, manet; Cujus intuitu, cum omnia, quæ cum Imperatore tractantur, peragi soleant, relinquitur dignitate manente, & etiam illa, quæ ab illa promissa sunt, præstanda esse, *Pruckman. §. soluta potestas secundo membro, cap. 4. effect. 2. num. 10. Decian. V. 3. Res. 117. num. 19.* Et si cupit Princeps mandata sua à successoribus observari, ait *Rulandus à Valle cons. 13. numer. 38. vol. 7.* Conveniens est, ut suorum Prædecessorum mandatis venerationem præstet *c. justitia. 35. q. 1.* Et non observando dat materiam dissolvendi ejus gesta per successores &c. Dicitque *Bl. in cons. 326. vol. 1.* quod successor Principis contraveniens factis antecessoris dicatur sibi ipsi contravenire; quia semper est unum imperium &c. Unde Fridericus I. ejusque filius Henricus VI. Imperatores, quæ ab antecessoribus data Episcopis, Ecclesiis, civitatibus, vel quibuscunque alijs personis erant, confirmârunt *vers. hoc quod nos. tit. de pace Constantia.* Nec his adversatur id, quod nemo sibi ipsi legem dicere possit, quia concedendo privilegium, non tam ipse, quam alter ille, cui id conceditur, hanc ipsi legem dicit, ut quod semel placuit, amplius sibi in posterum displicere non posse sciat *lib. 1. ff. de pactis.* Similiter & si par in parem imperium non habeat, attamen par paris,

hoc

hoc est, antecessoris promissionem præstare cogitur, quia imperium cuius intuitu promissio facta est, successor tenet. Corruit & hinc, quod tertio objectum, resolutum esse jus dantis, quia imperij jus salvum integrumq; in personam successoris manet, quia propter imperium unum idemq; cum prædecesore unus idemq; reputatur, à quo quod ab æquiparatione usufructuarij oppositum fuit, similiter resolvitur, quia heres usufructuarij non est usufructus hæres, utpote qui cum usufructuario extinguitur, imperij autem successor, non jure hæreditario, sed eo, quod imperium habet, cuius intuitu promissio facta est, tenetur implere id, quod nomine imperij prædecesor promisit, *Pruckm.d.c.4.n.18.f.soluta potestas.*

XXIV.

Hinc quæstio decidi potest, quæ nobis nuper oblata fuit: Rudolphus I. Imperator (pientissimæ recordationis) cuidam imperij Principi expectantiam super caducitate Comitatus cujusdam promiserat, cujus casus, cum nondum tempore mortis concedentis contigerat, an concessionis renovatio ab invictissimo Imperatore successore peti debeat? si enim successor factum antecessoris præstare cogitur, quod jam diximus, supervacua videtur renovationis petitio, vel eo quoque maximè attento, quod capitulationibus Imperatorum expressè continetur: jura, privilegia, dignitatem Principum & ordinum imperij minimè minui aut tolli per successorem posse, *Sleidan. lib.1.de statu relig.* Et in terminis tradit *Vivinus decis. 206.lib.2. privilegiorum confirmationem non esse necessariam.*

F I N I S.

DISCUR.

05 A 1101

ULB Halle 3
003 765 512



510

1011

511







JEHOVÆ PRÆPOTENTIS MONARCHÆ
auspiciis,

Discursus quintus

Ad Aureæ Bullæ CAROLI

QUARTI Rom. Imp.

LEGES IMPERII
FUNDAMENTALES

Authoritate Majorum

Publico disputantium examini, & omnium
publici juris Indagatorum censuræ

EXPOSITUS;

Quem

PRÆSIDENTE

Amplissimo & Consultissima Viræ,

Dn. DOMINICO ARUMÆO, Jcto

Celeberrimo, in Inclytâ Jenensium Acad. P. P. ibidemq;

curiæ Provincialis & Scabinatus Assessore digniss.

Antecessore suo multis nominibus æter-

nùm honorando.

In auditorio Jctorum propugnabit

JOHANNES DEIE OSNABR. WESTPH.

4 Octobr. 23. August. horis consuetis.

J E N Æ

Excudebat Tobias Steinman, Anno 1617.

